

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée à Paris, en 1532, chez Louis Blaublom, dit Cyaneus. Celle-ci est d'une qualité moyenne, la scansion faisant apparaître des difficultés que nous ne croyons pas toutes imputables au poète. Nous avons donc été contraint de faire un certain nombre de corrections.

EPIGRAMMATUM PRIMUS LIBER.

AD CHRISTIANISSIMVM GALLIARUM REGEM FRANCISCUM,
DE AURELIAE DOMUS HISTORIA.

E1_1 v.1 Oblaturus eram tibi, rex generose, libellum
 2 quo generis posses orsa videre tui.
 3 Judiciumque tuum, majestatemque verenti,
 4 se noctu ante oculos obtulit effigies.
 5 Nec visum hoc noctis placuit. Latitare parabam,
 6 arrepta cum me sistere veste jubet.
 7 "Quid modo me aversaris, ait, quam perpete voto
 8 abjecteque nimis sollicitare soles ?"
 9 "Nil mihi tecum", inquam : cum se velamine jacto
 10 subridens aperit protinus historia.
 11 "Quid, rogo, velaras faciem ? Memor accipe, causa est,
 12 obducto vultu quod per iniqua ferar.
 13 Quid sibi vult mundique tui ornatusque venustas ?
 14 Ut sum falsa odio, sic minus apta joco.
 15 Quid tibi nunc cum armis ? Ego proelia fortiter acta,
 16 Quo sunt gesta modo, commemorata velim.
 17 Clepsydrum tibi quid gestas ? Quia singula rerum
 18 momenta historicos exposuisse decet.
 19 Ipso plus aurita Mida, ac oculatior Argo es.
 20 Dicta audire, sed et facta videre juvat.
 21 Unde haec canities ? Ut cui texenda videbor,
 22 is sibi propositas noverit esse moras."
 23 Plura rogaturum, nil ultra fata, relinquit,
 24 et caecae tenebris noctis operta fugit.
 25 Jamne vides, o rex, quibus haec me legibus artat,
 26 inclyta qui generis molior orsa tui.

AD CLAUDIAM GALLIARUM REGINAM, DE AURELIAE DOMUS HISTORIA.

E1_2 v.1 Quam tibi gratus erit, pretium quod denique curae
 2 hic faciet, mundi Claudia deliciae,
 3 qui speculum obtulerit, quo te, manesque tuorum
 4 subjectos oculis intueare tuis ?
 5 Quorum ergo Aeneas, neque non hoc nomine plures
 6 Infernos ausi sunt penetrare lacus,
 7 ecce tibi, nempe historiam : nil inde reposcens,
 8 Qui credam hoc nimium, hanc si placuisse sciam.
 9 Si placuisse sciam, nimium credam esse labori
 10 sat factum, tua cui gratia pro pretio est.

DE MARIA ET JOSEPH, QUEM MORE PICTORUM SENEM FINGIT.

E1_3 v.1 Ducebat Mariam pedes puellam
 2 jumento impositam senex Ioseph.
 3 Riserunt obiter modum viantes,
 4 quod post se traheret senem puella,
 5 fessum annisque viaque. Cessit illa,
 6 conscenditque senex, ea adsequente.
 7 Riserunt alii modum viantes,
 8 quod post se traheret senex puellam.

EPITAPHIUM LUDOVICI LONGELILAE DUCIS.

E1_4 v.1 Heus heus, viator, hic gradum sistas velim,
 2 tam flenda summi fata lucturus ducis,
 3 quem Galliae toti fuisse ops cernitur.
 4 Cave hunc abesse sentias, qui tam adfuit
 5 dum vixit, adfuturus in dies magis,
 6 coeptis nisi obstitisset mors audacibus,
 7 mors saeva, cunctis luctuosa gentibus,
 8 si totius spectemus orbis commodum ;
 9 verum expetenda tam benigno principi,
 10 si tam beata metiamur gaudia,
 11 quibus fruatur, liberatus carcere hoc,
 12 nunc qui et epulis et coetui accumbit deum.
 13 Illi parentes conqueruntur tam breve
 14 vitae fuisse tempus : at vixit satis,
 15 quem non peracti cura pungit temporis,
 16 nec subita, quae futura creditur, dies.

AD PYRRHUM.

E1_5 v.1 En numeros nummosque tibi modo, Pyrrhe, parabam,

2 munera non certus quae mage grata forent.
 3 Te numeris nummisque capi mihi suaserat usus,
 4 his ad vitae, illis mentis ad obsequium.
 5 Pyrrhe, hodie scitum est numeris adnectere nummos.
 6 Namque ferunt vates esuriisse bonos.

AD IOANNEM CAPELLANUM MEDICUM.

E1_6 v.1 Spes est multa tuam eruditionem
 2 artisque experientiam intuenti
 3 pristinum subito prioris usum,
 4 vitae restitui mihi ; sed omnis
 5 tum me deficit, ut pari dolentem
 6 te morbo video diu implicari.
 7 Quod cuiquam dederis, tibi negaris ?

EPITAPHIUM PHILOTIS.

E1_7 v.1 Hic jacet ereptus matura morte Philotis.
 2 Plus reliqui huic mors, quam vita datura fuit.
 3 Non habuit vivus calcem quo sistere posset.
 4 Nunc spatium exstincti grande cadaver habet.
 5 Nec natos fraudasse bonis credatur avitis.
 6 Quod pater huic, natis ipse reliquit idem.

AD SPECTATOREM FIXI CRUCI JESU.

E1_8 v.1 Fle, si innocentem respicis,
 2 qui pro nocentibus luit.
 3 Ride si aperte percipis
 4 cui restitutus gratiae es.

AD PYRRHUM SENATOREM MEDIOLANI.

E1_9 v.1 Siccine mutat honos mentem, ut mihi scribere nolis ?
 2 Quo sine jurabas esse nequire prius.
 3 Sicne gravem, an potius mutum te curia fecit ?
 4 Non meus hoc in te, Pyrrhe, merebat amor.
 5 Vix spirandi, nedum scribendi otia dices
 6 esse uni, cui tot sint obeunda, tibi.
 7 Sunt, scio, quae nequeas differre, negotia, sed sunt
 8 queis noster certe est anteferendus amor.

DE LUDOVICO XII ET LEGATO VENETO.

E1_10 v.1 Rex bellum Lodoicus apparabat,

2 captasque a Venetis petebat urbes.
 3 Legatum Veneti repente mittunt :
 4 qui quum plurima fando nixus esset,
 5 et parum, aut nihil illa profuissent,
 6 addit : " Res tibi, rex, gravi est futura
 7 cum gente, et sapientium senatu."
 8 Ad quae rex breviter : "Tot hercule illud
 9 transmittam stolidos, ut inde discant
 10 prudentes, sapientiae inter ipsos
 11 armorum strepitus locum negari."

DE CHREMETE EBRIO.

E1_11 v.1 Bacche, Chremes gradibus dum decidit ebrius, ipsi
 2 crederis epoto supposuisse manum.
 3 Sobrius haud impune lacu cecidisset ab alto,
 4 quid ? Nisi quos turbas, hos quoque, Bacche, regis.

AD MATTHAEUM GALTERUM DIGNISS. MAIORIS MONASTERII ABBATEM.

E1_12 v.1 Si virtus adeo enitescit una,
 2 ut cui illa insit, ubique is aestimetur :
 3 non ullo prope non honore dignus,
 4 qua nunc te ratione praedicarim ?
 5 Cui facto agmine commigravit omnis
 6 virtutum chorus, ut nec una desit.
 7 De quibus sileo, inscius profecto
 8 juste quas quibus anteferre possim.
 9 Nec jam justitiae ipsa fortitudo,
 10 nec prudentia liberalitati,
 11 sed nec religio eruditioni
 12 est cessura loco : unaquaeque prima
 13 dici, nulla secunda vult haberi.
 14 Non tot Virgilianus in figuras
 15 Proteus, quot varios diserte ad usus
 16 verteris ; modo tristis et severus
 17 terres a vitiis, premisque sontes,
 18 castigasque moras, modo et jocosus
 19 demulces animum, excitasque mentem,
 20 affectusque pios pie titillas.
 21 Sed, quis rebitur ? Occupatus istis
 22 ut nil praetereas quod est necessum,
 23 neutiquam tamen ipse agenda omittis.
 24 Sic tu perpetuo negotiaris,
 25 ut numquam tibi detur otiari :
 26 et dulci utile nectis, ac, ut ille,
 27 et dextra jacularis, et sinistra.

AD DIVI IULIANI TURONESIS ABBATE IOANNEM BINETUM.

E1_13 v.1 O voto fieret meo, Binete
 2 humanissime praesulum, simulque
 3 integerrime, ut inde sacra cunctis
 4 esset religio, et severiore
 5 dignum supplicio, imo morte (si me
 6 jam non dedebeat sacris dicatum,
 7 cuiquam tale piaculum imprecari)
 8 efferre immeritos honore ; contra
 9 non applaudere, non favere dignis
 10 laude, esset capitale. Quis tuis non
 11 margo nominibus feret repletus ?
 12 Quae te pagina, quis locus sileret ?
 13 Sed satis modo res aguntur istis.
 14 Eo prostituuntur usque laudes,
 15 laudari ut videatur haud decorum :
 16 laudare atque adulari, idem putetur.
 17 Pro libidine jam mali canantur,
 18 dum imponi sibi sentiant, sciantque
 19 laudari hac ratione, qua tyrannus
 20 ille olim a Xenophonte praedicatus.

AD BRIELLUM.

E1_14 v.1 Per mare velivolum, et terras, noctuque diuque
 2 fortunam insano persequimur studio,
 3 instabilem, caecam, et prorsus ratione carentem,
 4 quaeque diu nulla sede manere potest.
 5 Haec sese sperni negat, et negat ipsa rogari.
 6 Quam qui praevertit, sat reor esse citum.
 7 Huic pudor est nullus, nulla est reverentia justis,
 8 omnia pro voto flectit agitque suo.
 9 Nunc favet his facilis, nunc adversatur eisdem,
 10 nec certum teneas hac moderande locum.
 11 Illa quidem nulla melius ratione domatur,
 12 quam quo fecisti, docte Brielle, modo :
 13 quem non laeta effert, quem non adversa molestat ;
 14 sed tibi quam iratam saepe, Brielle, velis.
 15 Regia te quoties obeuntem, inimica retraxit,
 16 et pretio et precibus miscuit illa minas.
 17 Virtuti obsequium debet fortuna, nec ulla
 18 firmitus artari compede vincta potest.

AD PYRRHUM DE CODICIS COMMENTARIIS.

E1_15 v.1 Mos est, candide Pyrrhe, jam receptus,
 2 queis et pressius, et minus solute,
 3 queis et laxius, et magis licenter,

4 prima et maxima cura disserendi est.
 5 Si quem laudibus anteferre cuivis
 6 dicendi ratione moliuntur,
 7 utuntur quoque comparatione,
 8 cedat, conticeat, facessat, aiunt,
 9 Plato, vel Cicero, id genusque plures.
 10 Civilis nimium eruditionis
 11 expertes, modo qui reo haud vocato
 12 frustra iudicium ferant iniqui.
 13 Morem hunc tantum aberit, diserte Pyrrhe,
 14 percensendo opere in tuo ut sequamur,
 15 quantum, quotquot adhuc fruuntur aura,
 16 omnes juris ego huc vocem peritos.
 17 Juris lux iterum penetret Alpes,
 18 lux, inquam, Decius, ducem mihi quem
 19 ad jus gaudeo praefuisse sanus.
 20 Pice audi, audiat hoc sciens Iason,
 21 sed noster quid ego hunc magis vocarim
 22 nostrum ? Cum potius sit orbis unus,
 23 isque excelsus apex scientiarum,
 24 vallus fossaque juris, ac potente
 25 Deli praeside Deloinus omni
 26 major parte, oculis, quibus per omnes
 27 res tam lynceus est, tuam revolvat
 28 feturam, nihil hac magis relutum,
 29 nil limatius, aut magis politum
 30 se vidisse fatebitur venuste.
 31 Sed si, Pyrrhe, meum minus recusas,
 32 quodquod iudicium est, mihi nec ipse
 33 praescripsisse aliter potest videri
 34 vester Justinianus imperator,
 35 quam tu restituendo quaeque, censes.

AD CORREUM.

E1_16 v.1 Quondam, Corree, sciscitatus a me es,
 2 cujus lectio me magis juvaret.
 3 Lectus me toties Maro, ac relectus,
 4 nullo, Corree, taedio fatigat.
 5 Sed nec Psalmographus famem legendi
 6 a me ex religione saepe versus,
 7 exemit. Pathelinum et hoc in albo
 8 adscriptum tibi jure collocarim,
 9 quem tantis salibus facetiisque
 10 Graecis objicias probe et Latinis.
 11 Francum intelligo. Porro versipellem,
 12 qui nunc auribus est datus Latinis,
 13 censuris alii suis probarint.
 14 Cui non ex tribus unus adlubebit,
 15 is nil e studiis petat, quod optet.

AD STEPHANUM PONCHERIUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

E1_17 v.1 Gallia quae tot habet, tot passim continet urbes,
 2 divite quae profert plura metalla solo,
 3 frugum altrix, vinique ferax, fecunda virorum
 4 quos studiis plures gignit alitque suis,
 5 si tibi cuncta fide praesul persolverit aequa,
 6 quolibet in fenus sunt abitura tuum.
 7 Quis tibi persolvat digne, cum missus ad Anglos,
 8 arbitrio pacem dasque refersque tuo ?
 9 Quis tibi persolvat quacumque forisque domique
 10 consilio vires exsuperante geris ?

DE BALUA CARDINALE ANDIUM EPISCOPO.

E1_18 v.1 Dum rex Gallicus hostium tumultum
 2 sedari cupit, et manum in rebelles
 3 armat, detulit omne copiarum
 4 Baluae imperium illud ambienti.
 5 Tum coram Chabanaeus imperator
 6 iturum illico se fatetur Andes,
 7 ut clerum instruat, et ministret aris,
 8 et sacris operetur otiosus,
 9 dum sic bella geret negotiosus
 10 ultra fasque decusque Cardinalis.

IN PONTICUM.

E1_19 v.1 Nulla te probitate Christianum
 2 quis tam a sensu alienus aestimabit ?
 3 Sed Turcam quis item mero frequenter
 4 qui te, Pontice, viderit madentem ?
 5 neutrum horum hac ratione te putarem,
 6 quod nullam teneas fidem infidelis.

DE MEDICO.

E1_20 v.1 Quaerebam ex medico quid esset, aut qua
 2 id causa fieret, quod ebriosi
 3 plures quam medici senes videntur ?
 4 "Non est mirum, ait, insolensque, quando
 5 non tot sint medici, quot ebriosi.
 6 Nec tam atrox fuit ulla pestis umquam,
 7 quae non pluribus abstineret iram.
 8 Et nos e numero sumus bibentum."

AD GULIELINUM PARVUM EPISCOPUM TRECENSEM DIGNISSIMUM.

E1_21 v.1 Parvus agit magna, et parvum nil cogitat ipse
 2 Parvus, et in Parvo maxima vis animi est.
 3 Parvus magna meret, contingunt maxima Parvo,
 4 nec virtus Parvum magna latere sinit.

AD PHILIPPUM DECIUM.

E1_22 v.1 Jam, Philippe, tibi, quod et Lycurgo
 2 Phoebus, praecinuisse collubescit.
 3 O dilecte Jovi, et deis Lycurge.
 4 Quis, Philippe, tibi, quod et Lycurgo
 5 Phoebus, praecinuisse me vetabit ?
 6 O dilecte Jovi, et deis Philippe.
 7 Ecquis invidet tibi id decoris ?
 8 Si tam is iudice sit Deo probatus
 9 ob leges, et eas quidem profanas,
 10 quae laus non tibi magna debeatur ?
 11 Qui sacros canonas scienter hercle
 12 vivaci ingenio, inquiete cura,
 13 e nodas, legis, eruisque sensa,
 14 quae nescisse prior putetur aetas.

DE CAESARE ROBERTETO DATO DIALOGUS NICOLAI (N.) ET CAESARIS (L.)

(Les tirets bas signalent les changements de locuteur.)

E1_23 v.1 N. I liber. L. Oblitus ne olim quod pactus amico es ?
 2 _ Quid ? Cui ? _ Cum ex Pyrrho me tibi munus habes.
 3 Perpetuo fore jurasti me perfide tecum,
 4 nunc Roberteti cogis adire manus :
 5 in somnis qui me noctesque diesque revolvit.
 6 Nec mihi, quae tecum, saepe futura quies.
 7 _ Parce rogo dominum sceleris damnare libelle,
 8 haud Pyrrhus laesam credet amicitiam.
 9 Nec dominum mutas, ubi Robertetus habebit,
 10 qui semper fuit, est, atque erit alter ego.
 11 Haec tibi de domino mutatio paene futura est,
 12 qualis quae Glauco cum Diomede fuit.
 13 Nam vilem et nihili linqvis, subiturus honestum
 14 hunc juvenem, quo nil Gallia majus habet.

AD GERMANUM BRIXIUM.

E1_24 v.1 Germane Brixii Apollinis,

2 Germane Brixii Pallados,
 3 salvere te jubet tuus
 4 nolis velis amicus,
 5 quem sic tuum fecit tua
 6 et eruditio, et boni
 7 candoris ampla opinio,
 8 te viderim quondam licet,
 9 olim hac dum iter praetenderes,
 10 necnon loquentem audiverim
 11 Marchiboi in consortio, et
 12 nostri Roberti Correi
 13 duum virorum illustrium,
 14 non noveram tamen, nisi
 15 eatenus, qua noscitur
 16 quisquis viator. Nam minus
 17 me fama tanti nominis
 18 tam nescientem publicas
 19 voces, adhuc pervaserat.
 20 Quod si deus mihi, et dies
 21 hoc gaudium, imo gratiam,
 22 tunc praestitisset, qua datum
 23 te nosse mi feret, lapis
 24 hunc annotasset candidus,
 25 sacer fuisset ter dies.
 26 Quo non honore Brixium
 27 dignatus essem, Brixium
 28 nostrae decorem Galliae ?
 29 Non ulla me modestia
 30 reclusura erat, quin illico
 31 ruissem in amplexus tuos,
 32 et obtulisset suavium
 33 ori venusto, et candidis
 34 istis labellis, in quibus
 35 Pytho perennis insidet.

GERMANUS BRIXIUS NICOLAO BARTPHOLEMAEO LOCHIENSI.

E1_25 v.1 Cur te non ego diligamque, amemque
 2 toto pectore, et intimis medulla,
 3 qui me non modo diligisque, amasque
 4 toto pectore, et intimis medullis,
 5 ignotum, immeritumque, at ore pleno
 6 laudatum evehis usque ad astra, et inter
 7 nostros das aliquem locum poetas,
 8 si quem Gallia habet tamen poetae
 9 dignum nomine ; namque ut ipse laudes
 10 non agnosco tuo ore defluentes,
 11 sic impense animum tuum, atque amorem
 12 ulnis excipio obviis, vicissimque
 13 hujus pectoris usque, et usque gratis

14 usuram offerimus tibi perennem,
 15 quem doctae uberibus sacris sorores
 16 lactatum instituere, et irrigatum
 17 aeterno Aonii liquore fontis
 18 artes edocuere liberales,
 19 per quas ipse tibi, Galliaeque
 20 olim conciliabis, auguramur
 21 dum coeptae haud pigeat viae, velisque
 22 calcem a carcere pervenire ad ipsum,
 23 famam nominis usque sempiternam.

AD RENATUM SYLVANUM AMBACEUM.

E1_26 v.1 Dum te pingere conor et voluto,
 2 cor et delictum meum, Renate,
 3 nulli, crede, tuis decentiores
 4 sunt visi, quibus exprimare, nullo
 5 tui dissimilis modo, colores.
 6 Quodnam pulchrius, aptiusque nomen
 7 indici poterat tibi, Renate ?
 8 Quem, castae simul ac parentis alvo es
 9 egestus, gremio recoxit alma
 10 Pallas, lacteque pavit erudito,
 11 formavitque suas tenellum ad artes.
 12 Silvanum quoque, quem educasset altis
 13 silvis cum grege virginum suarum,
 14 dixit, quo nihil est magis modestum,
 15 nil silvestre minus, minus ferinum.
 16 Lubens te modo dicerem bimatrem,
 17 ni disconveniat tuis iniquum
 18 nomen moribus, abstinate qui sis
 19 omni in re genio, atque temperato.
 20 Qui non esse alius potes, Renate,
 21 quem sic erudiere tot pericla,
 22 dum vidisti homines tot, et tot urbes,
 23 Hispanum quoque pervagatus aequor
 24 praeterlapsus es Herculis columnas.

AD PONTICUM.

E1_27 v.1 Cur te philosophum dicemus, Pontice, quando
 2 nec mens nec mentum philosophi tibi sit ?
 3 Philosophum hoc mihi crede refers, qui pauper, et idem es
 4 sordidus, haec duo habes, Pontice, philosophi.

AD IOANNEM ROBERTETUM.

E1_28 v.1 Fingebam mihi nuper absolutum,

2 qualem Stoicus optat, atque fingit,
 3 omni ex parte virum, et volebam in uno,
 4 quae divisa alios solent beare,
 5 collecta omnia, cui genus sit illud
 6 in quo nomina splendeant avorum,
 7 et formae species, decensque corpus,
 8 docto flexanimis lepos in ore,
 9 et multae additus eruditioni
 10 rerum usus, modus ille is in gerendo,
 11 qui nulli gravis, omnibus placeret,
 12 qui sese facilem et modestum ephebis
 13 et duris senibus gravem probaret.
 14 Fingendi labor omnis est ademptus,
 15 quum in mentem mihi protinus, diserte
 16 Robertete, venis, ea adsecutus,
 17 quibus non datur ampliora fingi.
 18 Ne sim, si fuit, est, eritque quisquam,
 19 in quem id verius adstruatur omne.

BACCHUS IN CANTHARO.

E1_29 v.1 Cui jam placebunt gurgites,
 2 natura praestitit volam,
 3 non hunc requirat cantharum.

DE PICTORE.

E1_30 v.1 Rogatus olim pictor a me perspicax
 2 quid tam insolentes ipse natos gigneret,
 3 qui pingeret spectabiles imagines,
 4 quas procreandis multi haberent liberis ?
 5 "Dispessa tam sunt, inquit, haec duo invicem,
 6 quam nox aperto caeca differt a die.
 7 Nos luce pingimus, tenebris gignimus."

DE IOANNE MEDICO PONTIFICE MAXIMO.

E1_31 v.1 Adscivit Medicum aegrotans ecclesia, vere
 2 isto opus in tanta debilitate fuit.

IN AMANUENSEM SUUM.

E1_32 v.1 Si tam parca meri quam scripti dextra fuisset,
 2 non esset nasi tanta rubedo tui.

DE EBRIO MEIENTE.

E1_33 v.1 Dum noctu redit ebrius taberna,
 2 solvendus quoque ventris esset humor,
 3 micturus parieti adhaesitavit.
 4 Tunc autem impluvio cadebat imber.
 5 Is vino madefactus, et sepultus,
 6 unda meiere se labante retur.
 7 Cujus cum mora taedium sodali
 8 afferret, rogat anne meiet usque ?
 9 "Meiam quandiu, ait, deo placebit."

AD M. ET EIUS VXOREM.

E1_34 v.1 Iratae arrides, ridenti irata repugnas :
 2 sic nec vos risus, nec sinit ira duos.

IN DEORUM CONTEMPTORES.

E1_35 v.1 Mortales nimium sibi sagaces,
 2 dum se et numina nesciunt protervi,
 3 fortunas tolerant iniquiores.
 4 Docti ergo modo rebus in gerendis
 5 praesentem Jovis aestimate vultum.

SPES

E1_36 v.1 Multum haesere sophi, bonumne majus,
 2 an me deterius malam vocarent.
 3 Me, ne cum reliquis cita evolarem,
 4 pressit pyxide continet Prometheus.

FIDES.

E1_37 v.1 Sum fides, utor fide. Dignum utrumque
 2 se, et Chelis ductrice, Chelique ductrix.
 3 Pulsus ambarum facilis : vi utramque
 4 deterit usus.

CHARITAS.

E1_38 v.1 Omnes quae sua sunt, minora nulli,
 2 multi plura quidem petunt ; at una
 3 nec novit sua caritas, nec ambit :
 4 terris exsulat, evocata caelo.

DE MILITE SUSPENSO.

E1_39 v.1 Qui tot per undas, tot per arma evaserat,
2 huic aequa quondam sors pepercit in crucem.

AD RHETOREM.

E1_40 v.1 Si quae nostra tuas petulantia laeserit aures,
2 qui tibi sat faciat, candide rhetor habes.
3 Illum rhetor habes, qui te nec laedere possit,
4 nec velit, at quod erit, qui tuus esse petat.

AD PAMPHILUM.

E1_41 v.1 Facunde loqueris, jocularis apte,
2 saltas composite, canis sonore,
3 pulcher corpore, comptus es capillo.
4 In gestu nihil est tuo notatum.
5 Nosti rhetoricen probe, et poesin,
6 mensuras, numeros, et astra caeli,
7 et si quid reliqui scientiarum est.
8 Solum es nescius expedire nomen.

AD ANTONIUM.

E1_42 v.1 Dum fastu nimis insolescis amens,
2 nil debere fateris eruditis.
3 Hi multo minus eruditioni
4 e debere quidem fatentur omnes,
5 quae te munere fenerata nullo est.

DE HISTORIA AURELIAE DOMUS.

E1_43 v.1 Si mellita Tito, fluensque phrasis,
2 si Crispo brevitatis minus coacta,
3 et vis, qua memorat geritque bella
4 Martio scopus in canore Caesar,
5 ac rerum tacito eximatur ordo,
6 non me rupero, si parem fatebor,
7 ob certae monumenta veritatis.
8 Sed si quis modo, quicquid ipse ab illis
9 sublegi quasi apis, meumque ad usum
10 excerpserit, repetat, notetque furta,
11 tum leberide inanior videbor,
12 fenebrisque jocum movebit ales.
13 Me cum nobilitate magnitudo

14 horum, qui objicient mihi tenebras,
 15 famaеque officient, satis levabit,
 16 quos si haud attigeri, natasse ad umbram,
 17 a magnis quoque decidisse laus est,
 18 pulchrum vincier, abstinere turpe ;
 19 istud crimine, laude abundat illud ;
 20 et si summa minus, secunda certe,
 21 vel cis dedecus assequemur ima.
 22 Tantorum in numero juvat videri.

IN EPIGRAMMATISTAM QUENDAM.

E1_44 v.1 Quis neget a titulis epigrammata inepta juvari,
 2 obscurum sine queis nil epigramma sonat.
 3 Et chartas onerant, et hiatum codicis implent :
 4 carmine saepe suo longior est titulus.

DE DIFFERENTIA MORBI VULGARIS.

E1_45 v.1 Morbum, Galle, Italum vocitas, Gallum, Itale, dicis.
 2 Inter vos necdum convenit in titulo.
 3 Componi pax certa potest, si torqueat ambos :
 4 ut morbo fingat nomen uterque suo.

AD LUDOVICUM BRUNUM BLESIIUM, ET IACOBUM MAUPINUM PARISIENSEM,
 CONTUBERNALES SUOS.

E1_46 v.1 Omnes invidiam probro insequantur,
 2 queis est invidiae feracis uber
 3 ignotum : ore probamus hanc aperto,
 4 sed qualem licet hactenus videre
 5 in vobis, quibus alteri alter addit
 6 urgentem stimulum ad politioris
 7 civile hoc studium eruditionis.
 8 Dormitis simul ambo, et ambo semper
 9 disceptatis, et ambo dissedetis,
 10 et discordia semper urget ambos.
 11 Sed quae pro studio orta, sopiatur
 12 muti iudicio, ut decet, magistri.
 13 Ad quidvis aliud fere gemelli,
 14 nec tam nixa bryonias cupresso,
 15 nec tam pampinus alligatur ulmis,
 16 quam vos multa necessitudo jungit.
 17 Vos certe simul esse non potestis,
 18 vos certe diu abesse non potestis :
 19 sic vobis vice cotis estis ambo,
 20 sic vestri integrat ira flammam amoris,
 21 et quadam ambitione vos amatis ;

22 nec tam junctus erat Patroclo Achilles,
 23 nec Niso Euryalus, nec ipse fido
 24 Theseus Pirithoo : antecessit omnes
 25 vester tantus amor, fidesque vestra,
 26 hoc excelsior, atque, credo, major,
 27 quod sit rarior inter eruditos.
 28 Nam fabro faber, et poeta vati,
 29 et doctus solet invidere docto.
 30 Inter vos aliquando rixa, ut hostes,
 31 inter vos aliquando pax, ut uno
 32 fratres germine quisque suspicetur.

AD MOROINUM.

E1_47 v.1 Cum tot emis numquamque legis, Moroine, libellos,
 2 nec sinis horum alios commoditate frui,
 3 te similem esse reor strato ad praesepe lyciscae,
 4 qui nec edit cordum, nec sinit esse bovem.

QUOMODO TOLLATUR TEMPORIS TAEDIUM.

AD DOMINUM IOANNEN TEXIERAM IURISCONSULTUM.

E1_48 v.1 Dum me vexat hiems, et dum pituita molesta
 2 intervalla sui nulla doloris habet,
 3 et spondet medicus redituram vere salutem,
 4 cura mihi unius maxima veris erat.
 5 Tum solis lunaeque moras mecum ipse querebar,
 6 quaelibet hora, dies, is quoque mensis erat.
 7 Unus et ex veris, qui tum me visit amicus,
 8 temporis arte docet fallere posse moras.
 9 Si tibi, ait, reddendum illo aes in tempore sumas,
 10 nec tibi sol tardus, nec piger annus erit.

AD MARCUM.

E1_49 v.1 Humanus, dum pauper eras, nunc dives, acerbus :
 2 ut tu fortunam vix tolerare queas.
 3 Luxurias rebus, quibus haud expleris, avare
 4 aggeris ah quantas cras moriturus opes.
 5 Plus, mihi crede, aufert Nemesis, quam conferat umquam,
 6 nec comes est mentis sors bona saepe bonae.
 7 Utere divitiis si sunt, non, Marce, fruare.
 8 Si desunt, nulla has ambitione petas.
 9 Quid tuus abstulerit genitor, metire, recedens,
 10 plus te ablaturum quam tulit ipse, putas ?
 11 Te nisi crux tollat, nisi piscibus esca, vel igni
 12 sis, nudus fossa, Marce, putrebis humo.

AD RODOLPHUM.

E1_50 v.1 Quod genus antiquum tibi sit, Rodolphe, superbis.
 2 Quodque tui Reges esse ferantur avi.
 3 Fastidis omnes, et nil miraris in ullo
 4 qui non sit veteri nobilitate satus.
 5 Evolve annales, luteus tibi primus, et unus
 6 auctor cunctorum comperietur Adam.
 7 Comperietur item extemplo, Rodolphe, quod omnis
 8 rex servo, servus rege creatus erit.
 9 Nobilitatem homines stulti excivere, malique ;
 10 nunc illam sibi qui detinuere, vides.
 11 Humanos dum terra parens produceret artus,
 12 nulla discrevit nobilitate lutum.

HIC SUI SODALIS AMORE CORREPTI MISERIAM DEPLORAT.

E1_51 v.1 Quid jam caece premis Cupido ? Quare
 2 mandatis nihil obsequi negantem
 3 letali nimium laccessis arcu ?
 4 Hoc advertite Venus, tuique nati
 5 quae sit carnificina, nunc voluta.
 6 Est anus, nequeo tenere fletum,
 7 est inquam, o utinam deesset, essetque
 8 haec, quam servat iniqua, virgo sola,
 9 qua non pulchrior ulla, qua relinquat
 10 Io Juppiter, atque Apollo Daphnen.
 11 Hanc formam comitantur, imo vero
 12 praecedunt, gravitas modesta, linguae
 13 ingens gratia, castitasque tanta,
 14 ut scortum hanc sibi nemo speret umquam,
 15 uxorem hanc sibi nemo non cupiscat.
 16 Hanc meus nimis ac nimis sodalis
 17 formosissimus ipse, dignus illa,
 18 et quem jam bene sana vult puella,
 19 tanto deperit igne, totus ut jam
 20 tabescat macie, nec huic μίτρούτου
 21 nec dent cereae imagines quietem.
 22 Si dormit, gravior sopor labore est,
 23 ut morotis ei sit extimenda.
 24 Nec furari animum potest amori,
 25 sic illum stimulant aguntque philtera.
 26 Dum illum haec respicit, enecat tuendo ;
 27 dum velat faciem, enecat tuendo.
 28 Dum tacet, taciturnitas molesta est ;
 29 dum fatur, renovat loquela flammam
 30 illam hic urit, et uritur videndo.
 31 Intimis gravis ardor in medullis
 32 tot suspiria, totque, tamque saevos

33 singultus citat et movet tacenti,
34 deprendi ut queat hinc aperta flamma.
35 Proditur mage, quo magis latere
36 vult, eo gravior molestiorque
37 quo solamine nullius levatur,
38 et vivax alitur tegendo vulnus.
39 Secretum tenet ore, vultu apertum.
40 Nec celat bene, quo nec ipse cessat.
41 Ubique ad puteum, ut lupus, recursans.
42 Quam se vellet Io puella vaccam,
43 illum quae prope se bubulcum haberet,
44 quo se pasceret : abstineret herbis.
45 At quam se miser esse vellet Argum,
46 hanc qui centum oculis videre posset.
47 Uxorem hanc sibi vult sodalis unam,
48 uni sola placet, placetque solus.
49 Si sumit speculum puella, vultum
50 conspectura, ita mens aberrat omnis
51 in vulnus quod amor tulit, nihil, quam
52 occurrit facies amantis, usque
53 fixus pectore vultus haeret, usque
54 hujus lumina fascinavit, usque
55 jam virgo eripitur sibi, suumque
56 extra est corpus, in alteroque vivit.
57 Absentem videt, et prehensat absens.
58 Absenti quoque verba reddit absens.
59 Sed qui jam fieri potest ? Anus se
60 dicit non nisi diviti daturam.
61 Non istam juvenis momet venustas,
62 o insanus amor pecuniarum,
63 non mores, decor, indolesque multa,
64 nec vultus male virgini cupitus,
65 non fracti in varios gradus capilli,
66 iidemque aurei, eburneive dentes,
67 non os tam lepidum, eminensque nasus,
68 discreto quoque barba pexa mento,
69 colla eburnea, vitreique ocelli,
70 non illaesa cutis, manusque longae,
71 non hirtum ac nimium virile pectus.
72 Unus, pauperies, obex amanti est.
73 O insanus amor pecuniarum.
74 Dione, potes ; ut velis, precamur :
75 a nostro has prohibe faces sodali.
76 Plumbeisque Cupidinis sagittis
77 novo vulnere vulneri medere ;
78 aut huic porrige pharmacum Promethei,
79 a se quo miser arceat calorem,
80 quovis igne sibi molestiorem.
81 Parce anus violare jura, parce
82 quos natura simul deusque jungit,
83 ob stipem modo velle separare,

84 non durat, scio, taeda conjugalis :
85 quam aeris, non animi excitarit ardor.

AD IOANNEM CAPELANUM MEDICUM DE QUODAM GERMANO MEDICO.

E1_52 v.1 Germanus physeos satis peritus
2 Junonis nihili aestimavit iras,
3 dum nullum refugit lucrum, locumque
4 pestilentem : adeo ipse fisus arti
5 plerumque oscula porrigebat aegris.
6 Rem notam tibi, Capelane narro,
7 eodem quoque poculo bibebat,
8 cerotum ac cataplasma saepe lingens.
9 Tandem hunc fortior arte vicit aer.
10 Confectum ergo ubi se esse peste sensit,
11 decrevit semel experiri, an esset
12 naturae bonitas malignitate
13 major, et magis illa quam ista posset.
14 Vidit nil odiosius creatum
15 peste hac, vidit et optimo ipse vino
16 naturae nihil esse tam benignum.
17 Annosum ergo sibi dari Falernum
18 jussit, quo nimis inscianter hausto
19 germane moritur quidem bibendo,
20 absorpsitque virum et merum una pestis.

DE DUOBUS SCHOLASTICIS IOCUS.

E1_53 v.1 Domum Hermes revocatus a parente,
2 "Puellam socio, inquit, hanc relinquam
3 tibi, si prius ipse te obligaris,
4 quod illam mihi reddito huc remittes."
5 "Non committam, ait alter, istud umquam,
6 ni sancte quoque caveris receptam
7 iri, ubi remeaveris, puellam.

AD IANUM LASCAREM.

E1_54 v.1 Cum non, Jane, biceps sis, es tamen ipse bilinguis,
2 et Graeco et Latio primus in eloquio.
3 Cum sis, Jane, biceps, non es tamen ipse bilinguis,
4 nil non prospiciens, nil nisi veridicus.

EPITAPHIUM IO.BAPT.CHO.

E1_55 v.1 Hoc contectus Joannes Baptista sepulchro,
2 ipsi Baptiste, aut nemo, secundus erat,

3 qui sceleris purus, vitae integer, et gravis annis :
4 caelo animam, corpus reddidit huic tumulo.

IN QUENDAM PHILOTIMUM.

E1_56 v.1 Dum te sic gremio fortunae dextra foveret,
2 a tergo nebat laeva tibi laqueum.
3 Qui nondum novit quot servos, esse tot hostes :
4 exemplo discat nunc, Philotime, tuo.

EIUSDEM EPITAPHIUM.

E1_57 v.1 Quem tot honoratum titulis humus ante tulisset
2 ferre tot adfectum noluit opprobriis ;
3 suspensum huc ergo de poste mori aere jussit,
4 fortunae o ingens ludificantis opus.

AD DOMINUM MATTHAEUM GALTERUM MAIORIS MONASTERII ABBATEM DIGNISI.

E1_58 v.1 Non me posse tuis fatebor unquam
2 gratiam officiis parem referre,
3 quae, dum horum subit ampla magnitudo
4 vix agnoscere prae pudore possum,
5 queis me certe oneras magis, quam honoras.
6 Dum me, dum mea singula ipse lustro,
7 virtutem, genus, eruditionem,
8 nil in me video hoc favore dignum,
9 quo me nulli habeas tamen secundum.
10 Acceptum est igitur tibi ferendum
11 istud, quicquid id est, quo amare me vis :
12 ni me verius obligare pergis.
13 Porro hoc ex animo facis, quod a me
14 numquam hanc posse scias tibi reponi
15 gratiam, et tua par pari referre
16 fors (quae ampla est mage, quam ut remunerandi
17 concessura vicissitudinem sit ;
18 et nostra inferior minorque, quam quae
19 possit) non patiat, abnuatque.
20 Sed qui ex me nequeo, deum precabor
21 nostram ut suppleat, et vicem rependat ;
22 et tu, ut me innumeris, te ita ille tantis
23 ornatum augeat, expleatque donis,
24 et tam feneret, ut nec ampliora
25 ausis poscere, nec dare ille possit.
26 Opes explicet axis universas.
27 Nam terrestribus, ut scio, fatiscis,
28 qui sortem tibi sponte blandientem,
29 delatumque frequens episcopatum

30 ultro spreveris, id genusque honores.
 31 Qui possum ergo meum expedire nomen,
 32 qui cunctos fugis, ut venenum, honores,
 33 et dona omnia non minus recusas ?
 34 Sim semper tuus ergo jam necesse est ;
 35 nec vero redimi anxie laboro,
 36 quiquam o, sed volupe est tuus videri,
 37 qui tunc plus videor meus mihi esse,
 38 nam tuis mage, quam meis fruiscor,
 39 nec tam sum mihi saepe liberalis,
 40 quam tu prodigus es frequenter in me.
 41 Abjurant juga servitutis omnes,
 42 ut dura, ut nimium molesta, sed me
 43 tum servum esse fatebor, et putabo,
 44 quando abs te eximar, asserarque, cui sit
 45 votum ultra omne, tibi subesse semper.
 46 Ex tuo interea hunc habe libellum,
 47 non munus, sed onus profecto : verum
 48 hunc legas, ubi nil ages, et ut non
 49 nil agas, tueare, vindicaque
 50 ab nota improbitate criticorum,
 51 qui vel hac ratione comprimuntur,
 52 quod quidquam illepidum, rude, invenustum
 53 adferri tibi non licere credent.

DE QUODAM CARDINALE.

E1_59 v.1 Quum olim pontificis calata summi
 2 essent comitia, atque cardinalis
 3 hic pro jure suo interesset, illum
 4 morbus corripit. Egredi volentem
 5 rogarunt socii quid inde abiret ?
 6 "Ne corpus cum anima, inquit ille, perdam."

IN EUM QUI VXOREM OCCIDERAT.

E1_60 v.1 Conjuge quam caesa sic nunc, Pandulphe, triumphas,
 2 non tam quam reris, laus venit ampla tibi.
 3 Essene debueras et criminis auctor, et ultor ?
 4 Fecit enim imperio haec, quicquid abusa, tuo :
 5 quam sic ornaras, ut vendere velle putarent.
 6 Cui per te nil non, quod libuit, licuit.
 7 Res levior pudor est, quam qui tot perferat auras,
 8 testudo Veneris jure subacta pedi est.
 9 Retia debueras, non spicula tendere, poenae
 10 rideri ipsa loco vult sua furta Venus.

EPITAPHIUM FRANCISCI FOLIAE.

E1_61 v.1 Franciscus Folia omnium peritus,
 2 sed nullo praeunte ei magistro,
 3 artium, tumulo hoc jacet sepultus.
 4 Mirum quam facili fuit manu, quum
 5 quicquam scriberet, hoc ita exsecutus,
 6 ut nemo aptius expeditiusque.
 7 Privato innumeri sales fuere,
 8 cunctis grata hominis necessitudo.
 9 Si verba ad populum, ut frequens, habebat,
 10 nemo hoc continuit jocante risum,
 11 nemo hoc continuit minante fletum.
 12 Certe hic theologus fuit disertus,
 13 orator, medicus, poeta, aliptes,
 14 alter Roscius, alter et Tigillus,
 15 piscator simul, et canorus auceps.
 16 Ephebos quoque re sacra peracta
 17 rhetor quotidie domi docebat.
 18 Pingendi simul ille norat artem.
 19 Hic demum fuit alcumista : nil non
 20 ausus, vix patrimonio pepercit.
 21 Naturae quoque sacra fecit : ipse
 22 intactum breviter nihil reliquit,
 23 Hippiam ut rear haud parem fuisse.
 24 Huic natura quidem nimis benigna,
 25 omni ex parte parens erat futura,
 26 si par menti habitaculum dedisset,
 27 fecissentque gravem hunc simul tot artes,
 28 qui gibbosus erat, levisque multum.

EPITAPHIUM REGINAE GALLORUM CLAUDIAE,
 QUAE LONGO TEMPORE INHUMATA IACUIT.

E1_62 v.1 Quod tibi dilati fuerint ad tempus honores
 2 Claudia, consilio res fuit acta deum.
 3 Corporis atque animi persolvi justa negarunt,
 4 pompa una atque uno tempore posse satis.
 5 Namque homines flebant, gaudebant numina raptam,
 6 dii nancisci, homines perdere multa rati.
 7 Vix habuit caelum quicquam praestantius illa,
 8 at numquam tellus est habitura parem.

COMPARATIO REGUM ET IGNIS.

E1_63 v.1 Ut friget distans, ita proximus uritur igni,
 2 hoc igni reges suspicor esse pares.

AD ANTONIUM BERTHELOT.

E1_64 v.1 Risisti nuper, quod Franciscanus in aede
 2 accentu dominus protulit in media.
 3 Ordinis hic mos est, non ignorantia verbi,
 4 dant minus hi certe, et qua licet accipiunt.

APOLOGUS AESOPICUS.

E1_65 v.1 Membra aegre, dum his sermo fuit, servire ferebant
 2 unius ventris cuncta ministerio.
 3 Consistunt dentes, stomachus, solitumque perosae
 4 officium segnes deseruere manus.
 5 Dissidii auctores pacem petiere coacti,
 6 ventris ubi immensae non latuere vices.

CAECUS PUER AD PUEROS.

E1_66 v.1 O quibus effigiem rerum, mundumque videre
 2 permisit summi gratia multa Jovis,
 3 macti animi este, bonisque datis caveatis abuti :
 4 multa adfert visus commoda multa mala.
 5 Tristitiam visus adimet solertia mentis,
 6 si nobis semper fidus Homerus erit.

AD FRANCISCUM SILUANUM AMBACEUM.

E1_67 v.1 Quid, Francisce, tuis nimis perurges
 2 indoctum ut modo publicem volumen,
 3 me verbis, quibus et fel addis, et mel,
 4 ut convicia saepe misceantur
 5 blandis cum precibus ; sed id fit abs te
 6 suadendi artifice Hercules perito,
 7 suaderi ut mihi jam velim, sinamque.
 8 Jam vos nil moror, hinc abite libri,
 9 Franciscus ratione vicit ista,
 10 qua dicit studiis male esse abuti,
 11 istaec scribere, quae neges videri,
 12 quae nullo modo praemio labores
 13 tanti suscipiuntur a peritis.
 14 Jam vix candidus ullus aestimator
 15 est, qui scripta probet, putetque, tantum ut
 16 quid reponat abest honore digna.
 17 Si scribis male, non legentur illa ;
 18 si scribis bene, vix legentur illa.
 19 Si recto omnia perficis tenore,
 20 et forte unus erit praehensus error,
 21 hic tum morsus, et unguis, hic repandum

22 vincent rhinocerota blatterones,
 23 huc visum (quasi sit scopus) tenebunt.
 24 Sed vos nil moror, hinc abite libri,
 25 Francisci precibus mei et querelis.

AD PETRINUM.

E1_68 v.1 Quas, Petrine, struis, structas quoque destruis aedes ;
 2 nempe ubi nunc ipsa est mensa, cubile fuit.
 3 Utere consilio hoc, parces nummisque, tibi que
 4 qui struere alterius diceris aere domum,
 5 sume (ut Diogenes Cynicus) versatile tectum,
 6 quod moveas voto saepius ipse tuo.

IN PONTICUM.

E1_69 v.1 Tu patriam damnas semper, moresque tuorum,
 2 atque aliis abs te criminis ausa datur.
 3 Damnabit patriam multo plus, quisquis in illa
 4 Pontice te certo noverit esse satum.

AD VITRICUM.

E1_70 v.1 Dum tibi blanditur conjux, et numina jurat,
 2 se non posse tua morte tenere modum :
 3 illa stetit dictis, tua namque ubi funera vidit
 4 efferris, mediis risit in exsequiis.

IN SENEM AVARUM.

E1_71 v.1 Senex avarus plus petebat tempore :
 2 tum debitor, quod praeveniret is diem,
 3 lucentem eunti jussit accendi facem.

AD GANGIDUM

E1_72 v.1 Dum vexas alios, minime, Gangide, quiescis,
 2 huic similis flagro, quod terit, et teritur.

EPITAPHIUM PHILIPPI EPISCOPI LEMOVICENSIS.

E1_73 v.1 Quantam heu jacturam juvenili in funere fecit
 2 publica res Christi, publica res populi,
 3 dum te sic Christoque pium, populoque salubrem
 4 spe juvenem multa mors inopina rapit.

AD REVERENDISSEMUM MAIORIS MONASTERIA ABBATEM MATTHAEUM GALTERUM.

E1_74 v.1 Cui non nota suo est cantu philomela, negabit
 2 parvi tam longos gutturis esse sonos.
 3 Cui non nota tua est solertia tanta, negabit
 4 parvo tot sensus corpore posse tegi.

DISTICHON.

E1_75 v.1 Me paenitendi consulit nati pater
 2 an is vacaret litteris. Aio : "Vacat".

TRIA QUAE RAOLLIN MIRABATUR.

E1_76 v.1 Mirari solitum ferunt Raollin
 2 illum in theologis pereruditum,
 3 tria haec cuilibet hercules stupenda,
 4 inter quae fuit hujus ordo primus :
 5 tot caeduntur oves, et exeduntur
 6 locis omnibus, omnibus diebus,
 7 quas mentigo, sacerque vexat ignis,
 8 quae numquam pariunt supra gemellos,
 9 idque anno semel ; has tamen videmus
 10 quod vincant numero greges luporum,
 11 qui raro perimuntur, undecimque
 12 partu plus minus egeruntur uno.
 13 Totus jamque recenseatur orbis,
 14 (mirabatur et hoc senex secundum)
 15 plures feminae ubique, quam viri sunt.
 16 Nec vexant genus arma femininum,
 17 quae tot conficiunt greges virorum,
 18 nec tot coenobia arta feminarum,
 19 quae sacrisque deoque mancipantur,
 20 quot jam comperies virorum, eorum
 21 qui aut jugem statuere caelibatum,
 22 aut parcunt lateri, sibique vivunt.
 23 Ne tot absque viro recenseamus,
 24 non usquam tamen invenire posses
 25 tam obstipam, usque adeoque claudicantem,
 26 et queisvis scelerum notis onustam,
 27 quam non duxerit indigens maritus,
 28 si multo locuples potitur aere.
 29 Nunc pars tertia restat explicanda.
 30 Jam passim licet extrahatur aurum,
 31 cui nil deperit igne, quod rubigo,
 32 quod sal, quod penetrans edaxque acetum
 33 non rodunt, tamen in dies queruntur

34 omnes nunc minus esse, quam prius. Qui
35 tria haec solvet, erit mihi hic Apollo.

AD VERCELLANUM.

E1_77 v.1 Vercellane, tuo quid modo luctui
2 cari in funere Bracheti
3 indulges nimis, et te laceras ? Quasi
4 effrenis grave nescias
5 Naturae imperium ? Desine conqueri,
6 quin vitam mage rideas,
7 ac instar tumide credito bullulae,
8 quae vento subito intumet,
9 occasura quidem praecipitantius.
10 Mors nullum eximit, omnibus
11 incertum parat, incertior exitum.
12 Haec aetate senes mala,
13 haec primo juvenes tempore conficit :
14 his longe ut reor aequior,
15 quod nusquam senii taedia senserint.
16 Sed quae nostra superbia est,
17 ullus visus adhuc perpetuus ? Cave
18 sic lugere hominem, quasi
19 hoc maerore Jovem sedere maximum,
20 dum te forte pium putas.
21 Non vult Juppiter hac parte redargui.
22 Vercellane, vale, at veni,
23 et me vise magis, qui tibi detraham
24 partem tristitiae tuae.

AD STEPHANUM PONCHERIUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

E1_78 v.1 Dum curis animus resedit, atque
2 te respublica nonnihil reliquit,
3 dum quinquatria solus otiaris,
4 si quoquam potes ipse solus esse,
5 isthaec perlege, Nicolaus orat,
6 tam ignavissimus omnium poeta,
7 quam sis optimus omnium archiflumen :
8 qui sacris tamen ipse dignus abs te est
9 judicatus, et institutus olim,
10 sacerdosque tua manu perunctus.

IN CAECUM AVARUM.

E1_79 v.1 Cernere quod nequeas, quo nolis insuper uti,
2 tanto aurum studio quid tibi caeca paras.

AD PONTICUM.

E1_80 v.1 Ne differ nondum sapienti jungere natam :
 2 qui petat hanc sapiens, Pontice, nullus erit ;
 3 non tam quae sima est, et hianti inamabilis ore,
 4 uxorem quamquam non sibi vult sapiens.

EPITAPHIUM STEPHANI MAYI AVUNCULI.

E1_81 v.1 Hic Stephanus situs est majorum e sanguine claro,
 2 sollicitus templi qui Prior hujus erat.
 3 Vicit pauper opes, humilique superbia cessit,
 4 et casto Veneris non nocuere faces.
 5 Doctus erat, multasque sciens pertriverat artes.
 6 Cantorum saeculi gloria prima sui.

DE LUDO VITANDO AD PONTICUM.

E1_82 v.1 Discat lusus, cui lucri caeca cupido est,
 2 imo quem parti deserit aeris amor,
 3 seu male, seu feliciter alea jacta resedit,
 4 quod nullas ludo sit pariturus opes.
 5 Parta quidem ludo numquam tua, Pontice, fient :
 6 quod vero perdis, desinit esse tuum.
 7 Ni jam falsa putas fidei documenta receptae,
 8 impune haud ulli transgredienda viro,
 9 quas non dividias ludus conscivit inanis ?
 10 Quot ludo assumpti deperiere dies ?
 11 Quae coquit interius, stolidi quae est cura medullas ?
 12 Perdita dum memorat, dum reditura putat.

AD MOTTAM.

E1_83 v.1 Me plerique putant, quod ipse non sum
 2 ad hanc usque diem ratus, nec ulla
 3 expertus ratione, posse apud te
 4 non nihil. Si ita sit, probes apertis
 5 id nunc indiciis, ubi me amici,
 6 quos prae me fero semper, ad rogandum
 7 te cogunt. Si ita non sit, id palam fac,
 8 ut non denuo te rogem molestus.

AD PONTICUM.

E1_84 v.1 Usurarum ego disputatione
 2 te semper udio anxie implicari,

3 jam vix te theorema habere credo,
4 sed certo scio non habere praxim,
5 nam nemo tibi, neminique credis.

IN MARCUM.

E1_85 v.1 Quod te odi, mecumque simul vicinia tota,
2 id vitio credas, Marce, venire tuo.
3 Nam nec amas quemquem, nec ob id redamaris ab ullo :
4 sunt in amore vices, fac, ut ameris, ama.

AD MACIUM.

E1_86 v.1 Quod sic dulce canis, moribundum imitaris olorem.
2 Quod sic sanus agas, hoc tibi cedit olor.

AD LUCIUM ADVOCATUM.

E1_87 v.1 Luci saepius es mihi minatus,
2 si quando reus in forum vocabor,
3 numquam te mihi prorsus adfuturum.
4 Quando sic placet, id feram haud gravate,
5 si adversae mihi partis es patronus.
6 Nec tum opus mihi rebor advocato.

AD GALLARDUM RUSAEUM.

E1_88 v.1 Malum, nec malum id aureum , quod auro
2 non duxi inferius, mihi dedisti.
3 Fecisti mihi rem, Rusaeae, gratam,
4 non tam hoc munere, quam quod est datum abs te,
5 abs te, inquam, juvene et bono et modesto.
6 Decem hoc praetulerim Maronianis.

DE CLAUDO ET SENE.

E1_89 v.1 Fur claudio abstulit et seni bacillos.
2 Furto erant simul hoc duo impotentes :
3 aegrius tamen id senex ferebat,
4 et divos animabat in latronem,
5 tot ne illi, ut baculo indigeret, annos
6 largirentur. At alter imprecatus
7 nil certe est gravius, magisque dirum,
8 quam quod furi aliquando scipionis
9 necessarius, ut sibi, esset usus.

AD BRUSLUM.

E1_90 v.1 Quod te carmine nuper extulissem,
 2 maxime tibi, Brusle, complacebas.
 3 Extuli, fateor quidem, idque feci,
 4 non quo vir bonus ipse censearis,
 5 sed salsus mage quo poeta dicar,
 6 qui de te bona tam malo canebar.
 7 Qualis sis, minime quidem asserebam,
 8 sed qualem magis esse te decebat.

DE QUODAM MINORITANO, ET ALIO.

E1_91 v.1 Franciscanus in alteram profundi
 2 ripam fluminis excipit ferendum
 3 quempiam nitidum, comatulumque.
 4 Parco huic nomine, rem minus silebo,
 5 dignam, publica quae sit, atque fiat.
 6 Impostumque humeris rogavit ipse,
 7 quum ventum ad medium prope esset amnem,
 8 Franciscanus, an is pecuniarum
 9 quicquam forsitan haberet ? Ille habere
 10 se dixit, quibus hunc juvaret, amplas,
 11 affatim quoque asymbolum cibaret.
 12 Promissis nihil excitus vadator,
 13 nescis ordinis, inquit, esse nostri,
 14 nos deferre pecunias vetari ?
 15 Desertor minime hujus ipse fiam.
 16 Excussum simul hunc in amne liquit,
 17 novi utrumque, et id audii ex utroque.

EPITAPHIUM FEALI.

E1_92 v.1 Fugerat hoc probitas vivo, hoc moriente redivit,
 2 oderat haec illum, hanc oderat ille magis.
 3 Scibat eam in caelo : ne forte offenderet illam,
 4 in lethen moriens et Styga flexit iter.

EPITAPHIUM BOENI.

E1_93 v.1 An vivum functum ne ignoro hunc dicere possum,
 2 qui numquam sensit se esse, minusque mori.
 3 Si quaeris quid agat lapidum hoc sub monte Boenus ;
 4 ni dormit, comedit, qui bibit ante satis.

EPITAPHIUM VGONIS.

E1_94 v.1 Hic jacet Ugo senex, sed qui prius inde recessit
2 quam scisset cur huc venerat, aut quo abiit.

EPITAPHIUM MORPSILLI.

E1_95 v.1 Saepe quidem, reminiscor adhuc, Morpsille, rogasti
2 si mihi longa magis quam tibi vita foret,
3 ut tumulo ipse tuo vellem superaddere carmen,
4 esset quo nomen notius inde tuum.
5 Hoc agerem jussus, verum tibi parcere malo,
6 qui nec ficta lubens, nec reticenda cano.

DE PATRONO ET MEDICO.

E1_96 v.1 Lis olim medicum inter et patronum
2 mota est, alterutri quis anteiret.
3 Tunc res, iudicium fori negante ut
4 suspectum medico, fuit relata
5 quemdam ad Theologum hercules sagacem.
6 Postquam quisque sua extulisset ample,
7 auditoque utriusque jure partis,
8 tandem theologus rogavit an non
9 dum poenas scelerum luunt latrones
10 praecedunt, sequiturque deinde lictor ?
11 Verum esse id subito fatentur ambo.
12 "Sic, inquit, medico praeire debet
13 patronus, siquidem hic latronis, ille
14 tortoris gerit, atque munus implet.
15 Uno hoc scommate rite lusit ambos.

DE TONSORE.

E1_97 v.1 Cum furem artificem, ex eoque cunctos
2 male audire subinde χειρονάκτους.
3 Et furti insimularier videret,
4 tonsor, qui tum aderat, me oportet, inquit :
5 "Et nostri ordinis eximatis omnes.
6 Nam si quid capimus supra capillos,
7 dum vos radimus, atque dextra fallit,
8 sentitur facile, ocius tenemur.

IN QUEMDAM.

E1_98 v.1 Non amo te, qui nullius sis dignus amore,
2 odi ego te, mecum quod facit et populus.

3 Cui caput obstipum, macilento pallor in ore,
 4 o macies animi nuntia vera tui.
 5 Mirum, quod genitrix tam longum pertulit alvo,
 6 quem modico nullus tempore ferre potest
 7 mobiliior ventis, omnique immanior Hydra,
 8 rimarum plenus, plenus et invidiae.
 9 Vindictae cupidus, rabidam proclivis in ira,
 10 debilis es, sed qui jurgia multa seras.
 11 Codro pauperior, Thersiteque vanior ipse,
 12 fallendi cui jam cesserit arte Sinon.
 13 Miratorque novi, sed quem fastidiat uno
 14 res, adeo levis es, quamlibet apta die.
 15 Audax assertor falsi, temerarius erro,
 16 sed vinci nulla qui ratione queas.
 17 Qui quam vir dici possis, muliebrior exstas,
 18 qui quam sis mulier, pejor es et nequior.
 19 Nec bene nosceris, nisi praecipiteris in undas,
 20 merso ut te liqueat, vir, mulierve sies.

DE N. BONO PRAESIDE.

E1_99 v.1 Nomine reque bonus Bonus omnia, nempe sacerdos
 2 judex, et doctor, ter bonus hic Bonus est.

DE MULIERE MICHAELI ET DIABOLO SIMUL SACRIFICANTE.

E1_100 v.1 Quaedam femina singulis diebus
 2 candelas geminas dicabat, unam
 3 Dei signifero, alteram subacto
 4 Daemoni. Interea rogata causam,
 5 respondit breviter, sed haud inepte :
 6 "Illi, inquit, fero, me ut juvet benignus.
 7 Huic, ne praeteritus subinde laedat.

DE ANNULO IOANNI ROBERTETO DATO, AD EUNDEM.

E1_101 v.1 Credis quem dedit annulum puella,
 2 qui pala patientiae ferebat
 3 inscriptum titulum, mali fuisse
 4 o minis , quod eo die tibi quo est
 5 missus, te rabidus, ferox, cruentus,
 6 certe ausus nimium canis momordit.
 7 Si fato fuit id ratum necessi,
 8 qui ne dii superi quidem resistunt,
 9 a saevo impetereris ut molosso,
 10 nil est quod queat annulo imputari,
 11 multum est quod queat annulo referri,
 12 ut qui praemonuit, malum futurum,

13 quod vitare tibi haud erat potestas,
14 perferres animo virilis aequo.

NIHIL INTERESSE VBI QUIS MORIATUR.

E1_102 v.1 Is cui Moscus, ut abstineret armis,
2 suadebat, quod in his avus perisset :
3 "At tu, inquit, caveas tibi a cubili,
4 in quo mortuus et tuus parens est.

SCHEDIUM PRO PUERO VINUM OFFERENTE.

E1_103 v.1 Ut praestans , hederam, sic longa encomia vinum
2 negligit, hac fiam nunc ratione brevis.
3 Qui vobis vel quod biberent divi, ipse propino,
4 libate, ipse vices nunc Ganymedis agam.

DE DOMINO MULTA SIMUL SCISCITANTE.

E1_104 v.1 Servum importune, sua quae est insania multis,
2 commotus simul hoc omne rogabat herus :
3 dic scelus, an venit ? An domi erat solvitne ? Negatne ?
4 Cui trepidus famulus, non, ita, nil, aliquid.

NICOLAI BARPTOLEMAEI LOCHIENSIS EPIGRAMMATUM LIBER II.

AD GENEROSISSIMUM FRANCISCUM,
FRANCISCI GALLIARUM REGIS POTENTISSIMI PRIMOGENITUM.

E2_1 v.1 O qui vel specie merere regnum,
2 Princeps, omnia par fere parenti,
3 vis famam, decus, et perenne nomen,
4 mansuramque adeo parare laudem ?
5 Non tam Palladis arma, quam sequaris

6 artes : bella manusque conserentem
 7 vix te unus videat satis, vel alter.
 8 At te Palladis artibus celebrem
 9 praesentes simul et vident secuti.
 10 Cassi lumine quid forent, eis si
 11 obstarent taciturnitatis umbrae ?
 12 Jam non plurima cernimus sepulchra
 13 cultu magnifico, parique sumptu,
 14 astrorumve, hominumve corruisse
 15 irae obnoxia ? Sunt perenniores
 16 quovis marmore Musae, et aere quovis.
 17 Has ergo timeas amesque solas,
 18 si laudis deus est tibi Cupido,
 19 nec vita bene emi putas honorem,
 20 quae te tollere solae utrimque possunt,
 21 aut dum facta canent tua, aut silebunt.
 22 Quin jam, consulo, fulmina illa belli,
 23 quorum ut laus, simul aemulanda virtus,
 24 quae testes sibi gaudet esse Musas,
 25 Pelaeumque imitare, et Africanum.
 26 Hic semper comitem Ennium trahebat,
 27 et condi voluit suo hunc sepulchro.
 28 Ille haud se placidae dabat quieti,
 29 quin pulvinum habuisset auri Homerum,
 30 cui movit lacrimas Achillis urna.
 31 En sextum tibi jam Ennius revixit,
 32 nimirum Theocrenus ille, magnus
 33 profecto ingenio, minor nec arte,
 34 quo, quam Fulvius Ennio, doceri
 35 possis certius, aut Achillis herbas,
 36 aut quae Atlas radioprehendit astra,
 37 aut illam Pyliae senis suadam,
 38 aut certe, magae quae tuae esse debent
 39 artes, imperio quibus regatur
 40 juste ac legitime universus orbis.

AD REVERENDISS. APOST. SE. LEGATUM ANTONIUM A PRATO, ARCHIEPIS. SENO.

E2_2 v.1 Tollere decreverat nostro te Juppiter orbe,
 2 teque novum caelo sidus habere suo.
 3 Quod simul audivit supplex respublica, factum
 4 ne vellet, tremula est voce precata Jovem.
 5 Neve hominem raperet, quo sol minus utilis orbi est,
 6 atque sua hoc in eum pro pietate daret.
 7 Non nihil his motus, neque dat, neque denegat omne,
 8 communis sedenim, Juppiter inquit, erit.
 9 Ille tuas premat, et longum moderetur habenas,
 10 dum quoque nos oneris parte subinde levet.
 11 Quam bene consultum est, respublica dixit, utrique :
 12 quandoquidem tot par rebus hic esse potest.

AD D. GABR.GRANDIMONTENSEM CARDINALEM.

E2_3 v.1 Quod tam notus eras, quam nunc incognitus, olim :
 2 hoc adscribo meae, non tibi, desidiae,
 3 ut qui omnes, tua quae prudentia, candor et ingens,
 4 vel minime notos obuius excipias.
 5 Ni jam me timidum, quod res est, dicere malis,
 6 cui, ne congrederer, restitit usque pudor.
 7 Qui nec adhuc pulsus, Gabriel spes altera regni,
 8 ut scripsisse sinit, sic et adire vetat.
 9 At qui non ausim per me, per te omnia jussus
 10 audebo : audacem, si jubeas, facies.

AD GULIELMUM BUDAEUM A LIBELLIS REGIIS.

E2_4 v.1 Budae vellem, ut nil magis,
 2 si me pudere tam sinis,
 3 Budaeus esse ; te tamen
 4 nollem esse me, nec te hercule
 5 par esset usque dejici,
 6 sed Marcus esses Tullius,
 7 vel Atticus Demosthenes,
 8 aut si quis istis omnium
 9 princeps magis sit artium.
 10 Tu sic te adeptum plurima,
 11 qui te profecto, et si scias,
 12 Te nemini, quae pol tua
 13 modestia est, praefers tamen.
 14 Ego arbitrarer omnia,
 15 qui te profecto sat sciam,
 16 ob idque cunctis praeferam,
 17 nec fallit hic sententia
 18 qui sunt, fuerunt, aut erunt :
 19 in quo relucent omnia,
 20 quae singulis vix singula.

AD EUNDEM.

E2_5 v.1 Ecce crocum, ecce iterum carmen tibi, gratior olim
 2 ut crocum, ita hoc jubeat carmen Apollo legi.

AD IOANN. BARTHOMEIRUM.

E2_6 v.1 Unumquemque suae deliciae trahunt,
 2 Barthomeire, animi pars melior mei
 3 vos o, ipsa quibus vita quietior,

4 securi excubiis, moenibus urbium
5 horas mille modis fallitis, ut minus
6 vos longi capiant taedia temporis,
7 nunc delubra deum, nunc loca publica
8 lustrantes in equis visitis, aut domos
9 vicinas, ubi vel si juvat alea,
10 collusor dabitur, vel si animo, aut gulae
11 indulgere vacat, protinus adfluent
12 omni ex parte, velut graculi ad aucupes,
13 convivae lepidi, nec deerit quidem
14 Comus, tunc levibus sparsa facetiis
15 pro se quisque jacet scommata, non habet
16 ob sportas varias quid petat hic gula.
17 Fastidire potest plurima, mens caret
18 re, quam ultra cupiat, nam quod amoenius
19 aut praestantius est antidotum ad graves
20 pellendas animi sollicitudines,
21 quam facunda, frequens, laeta sodalitas ?
22 Non tristes pluvias, non penetrabile
23 frigus, non glaciem, non pluvios notos,
24 urentemque homines et sata Sirium
25 horretis placidis sub laquearibus.
26 Nos vero, quibus, ut dicitis, urbici,
27 vita ac mors eadem est, ruris opes juvant.
28 Quam dulcis sopor est sub topiariis,
29 et quam suavis aqua e flumine proximo
30 plena absorpta vola, quam faciles cibi
31 quos natura suis condiit artibus.
32 Adscitis remorantem pilulis famem.
33 Nobis saepe venit vel renuentibus.
34 Sed desunt socii, sunt comites ferae,
35 inter quas etiam vivere tutius,
36 quam cum vulgo hominum saepe nocentium,
37 et qui pejus alunt virus, et evomunt,
38 mordentque asperius qualibet aspide,
39 quorum nequitias, ac sycophantias
40 nec noris temere, nec bene fugeris ;
41 qui plerumque jocos, non secus ac pilas,
42 aut sphaeras jaciunt, saepius ut velint
43 illis laedere, quam ludere subdoli.
44 At nos talibus a deliciis procul
45 nunc plaga Veneris sanguineam rosam,
46 narcissum, et violas caedimus unguibus,
47 gaudemus spoliis mitibus arborum,
48 nunc falluntur aves, et lepores cito
49 cursu persequimur, conficimus lupos,
50 nunc tondemus oves, inserimus piros,
51 hic cervos acuit, rastra alius parat,
52 hic nil segnitiae, nil datur otio.
53 Vis dicam ? Labor hic gratior est tamen
54 nobis, praeferimusque ista negotia

55 vestris omnibus insuavibus otiis.

AD P. DANESIUM.

E2_7 v.1 Nunc o gloria Galliae Danesi,
 2 re quam nomine verius δανεΐζεις,
 3 dum cunctos tibi fenerare, vita
 4 defunctosque, superstitesque, dum tam
 5 illos praelegis eleganter, istos
 6 dum tam quotidie doces scienter.
 7 Tibi hoc nomine sese utrique debent.
 8 At nullum tibi fenus inde speres,
 9 cui numquam redhibenda sors sit omnis.

IN SERVUM.

E2_8 v.1 Si te, subdole serve, perdo, qui me
 2 haudquaquam sinis esse negligentem,
 3 me fecisse quidem putabo lucrum
 4 ingens, cui mala crux erit sepulchrum,
 5 majores ubi sunt tui siti omnes.

PROLOGUS.

E2_9A v.1 Silete patres, maximo est silentio
 2 echo audienda, quae breves, verum graves
 3 sententias claudat duabus syllabis.
 4 Audite jam, nec vos diu morabitur.

DIALOGUS ZETETAE ET ECHUS.

E2_9B v.1 Nunc me Echo propere sequare. Quare ?
 2 Ex te multa velim necessa. Cessa.
 3 Haud cessabo equidem loquere. Quaere.
 4 Ecquam fers speciem decoris ? Oris.
 5 Talem qui genuere te parentes ?
 6 Quis pater tibi, quaeso, dictus ? Ictus.
 7 Matre ergo, puto, nata voce. Voce.
 8 Quid jam vult sibi hiems maligna ? Ligna.
 9 Quisnam aestate homini molestus ? Aestus.
 10 Quis saepe est malefactor ? Actor. Has sunt
 11 qui technas meditantur advocati.
 12 Cati. Instar trucium appetunt volucrum.
 13 Lucrum. Maximus est abusus, usus.
 14 Quosvis jus medico est necare, Care.
 15 Tantus theologo unde fastus ? Astus.
 16 Quo plebs hunc magis aestimet. Timet. Non

17 abs re, at plus modo miles est timendus,
 18 qui rapta quoque veste tangit, angit.
 19 Quid decet modo feminas ? Minas. Num
 20 et persaepe flagella multa ? Multa.
 21 Quidnam has conveniet monere ? Nere.
 22 Quid fit si domo abest sua maritus ?
 23 Ritus. Tuncne relicta gaudet ? Audet.
 24 Scis Echo quod onus sit a superba
 25 subdi conjuge ? Juge. Quidnam agendum est
 26 si conjux minus est honesta. Ne sta.
 27 Num pax, si fuerit pudica ? Dica.
 28 Hosti optanda igitur tibi videtur.
 29 Detur. Nullane nota, vita cujus
 30 sit laudabilis atque rara ? Rara.
 31 Cur hanc femina feminis inuris
 32 notam ? Notam. At enim est severa. Vera.
 33 Quo se mancipium implet, ipsa nescis ?
 34 Escis. Num satis hoc potest vetare
 35 haud segnis dominus ? Minus. Puto ergo
 36 praestaret famulis carere. Rere.
 37 Quis diis proximus ? Imus. An superbos
 38 non iidem bene diligant ? Ligant. Quae
 39 posthac spes reliqua est minus benignis ?
 40 Ignis. Jam decet hoc cavere. Vere.
 41 Qui admisit scelus, ergo ploret. Oret.
 42 Nunc si Echo vacat, hinc recedito. Ito.

AD D. BUDAEUM.

E2_10 v.1 Mitto crocum uxori, nostrum hunc tibi mitto libellum,
 2 Budaee, ut video, tempori utrumque quidem.
 3 Nam quadragenam Phoebe duodena reducit,
 4 quae condire croco ferula multa solet,
 5 quaque sacro eloquio, cunctis post terga relictis,
 6 mens sese pasci sic velit, atque decet.
 7 Una crocum tellus tulit, auctoremque libelli,
 8 fertiliorne croco sit, vide, an ingenio.

IN HOSPITEM INHOSPITUM.

E2_11 v.1 Veni nuper in hospitis tabernam,
 2 si is non hostis erat magis vocandus,
 3 quo saevum minus arbitrer Procustem.
 4 Hic, postquam accubui, cibi adferuntur,
 5 quaesitique diu, et male adparati,
 6 panis denique durus, et quod isto
 7 longe durius, insuave vinum :
 8 iis ingens pretium, ac idem coactum.
 9 Cui non moverit ista cena bilem ?

10 Ipse ergo hospite non valere jusso,
 11 discessum paro, verum ut indecorum,
 12 nec tutum mihi, nolui, sed egi,
 13 ut verbis aliquantulum levarem,
 14 at quam non suboleret hospes, iram.
 15 "Jam jam care valebis hospes, aio,
 16 te sors ebeet, elevetque semper,
 17 thesaurum merite, altiusque robur,
 18 morare, hic tibi quamdiu est morandum.
 19 Post vitam, hinc rapiaris ad Beatam."

AD ANTONIUM FONTENEIUM.

E2_12 v.1 Nemini debet nimium licere.
 2 Cui licet plus quam decet, hic magis quam
 3 par sit, et molitur, et huic suadet
 4 copia luxum.
 5 Quo fit ut te absens moneam libenter,
 6 quod licet, non quod libet, ut sequare.
 7 Si secus, spera haud similes daturum
 8 te mihi poenas.
 9 Audio de te, minus esse vera
 10 quae putem, rumor tamen ille de te est,
 11 pro scelus, quod jam studiis relictis
 12 nil, nisi ludis.
 13 Quae ferent istud patienter aures ?
 14 Quod tui tam oblitus es, immemorque,
 15 ut super magna meditare nullum
 16 laude laborem.
 17 Si per aetatem nimium tenellam
 18 non tibi jam tam licet esse gnaro,
 19 ut satis fructum studii antevertas,
 20 spemque sequentem,
 21 praevide saltem cito me adfuturum,
 22 dextera, ut nosti, male pruriente,
 23 vultu eo, quem non, puto, sustinebis,
 24 nec mage flagra,
 25 queis tibi saevis procul insonabo
 26 Aeacus nec sic, subigit fateri :
 27 heu miser, frustra veniam rogabis,
 28 tergore pendes.
 29 Parce nunc ergo tibi, parce flagris,
 30 fac tibi quod sit decori futurum,
 31 fac mihi quod sit volupe, atque utrisque
 32 semper honestum.
 33 Illa mens certe generosa non est,
 34 quae fugit famae melioris auras,
 35 respice aequales, dabit ecce virtus
 36 aemula calcar.

IN IMPIUM.

E2_13 v.1 Qui peccat, aut poenas futuras negligit
2 insanus, aut certe futura praemia.

EPITAPHIUM ADVOCATI QUI SE MILITIS EFFIGIE SCULPENDUM CURAVERAT.

E2_14 v.1 Non est viator, quo patronum hic conditum,
2 armata cujus imago, crudelem hinc putes
3 fuisse, qui numquam arma vivus coeperit :
4 pictoris hercle, quam sua, trucior manu.
5 Secutus est forum, idque clementissime :
6 ut, cujus ore nullus actus sit reus,
7 qui capitis, aut rerum periculum subierit,
8 aliena vero semper habuit ut sua.
9 Quod nobilis sit, debet hoc majoribus.

AD ERINUM.

E2_15 v.1 Multum Plinio Erine, Plini Erino
2 debes : plurima contulisti Erino
3 Plini, nempe peritiam polorum,
4 terrarum, marium, urbium, ferarum,
5 gemmarum, lapidum, aeris et metalli,
6 naturae simul universae, et ad quem
7 unumquodque deus creavit usum.
8 At contra bene si recenseamus,
9 Plinio inferiora praestitisse
10 Erinus minime potest videri,
11 qui mancus, lacer, omnibusque paene
12 membris turpiter et mala elocatis,
13 quique olim sine lumine, in tenebris
14 squalabat, minime quidem sat ulli
15 intellectus, et explicatus, ecce
16 sanus, integer, atque restitutus
17 luci, pulchrior, ut gravem solemus
18 post morbum, exsilit, et situm relinquit.
19 Res nulli satis acta, tacta multis.

AD LUCIUM.

E2_16 v.1 Me multique bonique dudum apud te
2 Luci, laudibus extulere summis,
3 quas agnoscere non queo, aut referre,
4 multum hoc nomine me tibi volentes
5 commendare, nimis profecto falsi.
6 Mallem, si modo malle tale possum,

7 coram te scelerate, cui timori est
 8 virtus, hincque odiosa, praedicari
 9 lurco, ganeo, moechus, aleator,
 10 aut ejusmodi scurra, nebuloque,
 11 nimirum similis tui, tuosque
 12 ad mores, sycophantiasque factus,
 13 qui nullum hactenus extulisse visus,
 14 qui non moribus altus esset istis.
 15 Sed jam, ut vis, sacra misceas profanis,
 16 numquam id sollicitate queremur ultra,
 17 cum major pateat malis ruina,
 18 quo sublimius altiusque crescunt,
 19 qui pol quo magis efferuntur, hoc plus
 20 illorum et tua turpitudine paret.

AD IOANNEN SALLINAEUM.

E2_17 v.1 Quaeris, quos mihi deligam
 2 queiscum vivere postulem.
 3 Uti ut nolo potentibus,
 4 sic odi quoque pauperes.
 5 Illi, semper ut imperant,
 6 sic hi nil, nisi flagitant.
 7 Dumtaxat mihi amo pares,
 8 nec plus nec minus exigens,
 9 quam quod fors mihi jam dedit
 10 si me forte coegerit
 11 delegisse necessitas,
 12 Diti praetulerim indigum.

AD LIBELLUM.

E2_18 v.1 _ Quid est libelle mi ? An tuo hoc fato datum est,
 2 an potius invidia superstitem aemula,
 3 quae summa tantum tamen ut ignis appetat,
 4 ut nullus admirator usquam sit tui,
 5 verumne amator quidam, a me vigiliis,
 6 tanto labore, lectione plurima,
 7 nec absque sumptu, nec absque magno tempore
 8 dispendio certe valetudinis meae,
 9 sortisque maximo, nec, arbitror, sine
 10 industria, nec abnuente Pallade
 11 formatus, educatus, ac tandem editus.
 12 _ Nil est quod esto jam queraris nomine ;
 13 placeo quidem vel eruditioribus.
 14 Quod si secus cederet, pares multos habes.
 15 Id contigit pleraque vel longissimo
 16 praeuentibus spatio, Philisto scilicet,
 17 populi que flori Thucydidi ipsi Attico,

18 necnon Catoni, mitto dicere quem virum.
 19 Illos sua omnes nescierunt saecula,
 20 posterior aetas coluit ad miraculum.
 21 Spes maneat illa te, isto eunt fata ordine,
 22 ut sint vices rerum omnium. Quae perplacent,
 23 aliquando displicitura sunt ; quae displicent,
 24 quod mox honore in summo habenda : nec stare
 25 summis, nec infimis jacere diu est datum.
 26 Vectos premit, pressosque semper vehit deus ;
 27 ut fama nascitur, perit citissime,
 28 neque ratione, imo opinione ducitur.

IN QUAESTORES.

E2_19 v.1 Parvi artamos fures terunt,
 2 at magni, et aurum et purpuram.

AD FRANCISCUM ANTONIN PERRULSIAE DOMINUM.

E2_20 v.1 Francisce, mecum quando multos intuo,
 2 tecumque confero, videris omnibus
 3 quos noverim, multo quidem felicior,
 4 qui sic procul foro, procul negotiis
 5 sis positus in villa tua Perrulsia
 6 Tempis amoenior caeloque et solo.
 7 Quid attinet caeli referre gratiam ?
 8 Perpetuum ubi ver, et alienis mensibus
 9 graves bis arbores, ovesque aestas videt,
 10 solo Ceres Trinacriam postponeret,
 11 nec laudibus Perrulsiae certaverit
 12 frugum parens Italia, nec jam Mysia
 13 jactare cultu se pari certe potest.
 14 Si Naiades nossent prius Perrulsiam,
 15 Parnasus esset Naiadum vacuus choris,
 16 suamque Cynthus neglexisset Delum,
 17 sedesque Perrulsiae locavisset suas,
 18 ubi lacus fontesque limpidissimi,
 19 nec non perenni prata cincta flumine,
 20 nemusque semper frondium virens comis
 21 Balearibus frequentius cuniculis.
 22 Quam lenibus volucrum hic concentibus
 23 mulcentur aures ? Quam ora fructibus novis,
 24 quos Gallia hactenus quidem nesciverit :
 25 perferre miratur peregrinas comas,
 26 fructusque non suos frutex mansuetior.
 27 Templum quid illud, lapide quovis marmore
 28 praestantiore numini positum canam ?
 29 Perrulsiam quis his beatam non putet ?
 30 Beatiorem iudicaturus quidem

31 Regnari eam abs te qui insuper cognoverit.

AD MUSAS.

E2_21 v.1 Hinc Musae, hinc agedum facessite omnes,
 2 at sero, tamen hinc abite sero,
 3 quae me blanditiis, ineptiisque
 4 vestris tam male tamdiu occupatis.
 5 Ecce omnes socii mei a choreis
 6 qui vestris petiere missionem,
 7 nunc ad culmina honoris efferuntur.
 8 Ast demens ego, vestra qui secutus
 9 magno ac perpetuo labore castra,
 10 mihi, quo tolerare me ipse possim,
 11 vix feci reliqui ; nec ampliora his
 12 vestro illi peperistis olim Homero,
 13 nec ditare quidem soletis ullos,
 14 delectare sat esse suspicatae.
 15 Sed huc deprecor, huc redite Musae,
 16 quas cunctis opibus, pecuniisque
 17 necnon fascibus et togae antepono.
 18 Sic sortem minime verebor unquam,
 19 nec certe reverebor : ipsa quippe
 20 nullum in vos, comites, domosque vestras
 21 jus fortuna potest habere, apud quas
 22 metu pauperies soluta regnat.

SPES MEA DEUS.

E2_22 v.1 Sors hinc procul, spes hinc procul,
 2 nec limen hoc jam insistite.
 3 Vos, qui minus novit, colat :
 4 sors, et mea omnis spes, Deus.

IN LINCUM.

E2_23 v.1 Perdidit uxorem Lincus ; dum quaereret illam,
 2 ostensum est Linco, qua instituisset iter.
 3 "Ibo ex adverso, inquit, nam contraria semper
 4 conjux et facere, et dicere cuncta solet."

AD IOANNEM REFUGIUM.

E2_24 v.1 Sapphici quod sic numeri juvent te,
 2 Sapphiciis utor numeris apud te,
 3 me licet multo lyra desuetum
 4 negligat usu.

5 Nescio si nunc, Refugi, superbum,
 6 an magis pigrum, fideive fluxae,
 7 an simul totum, vocitare jure
 8 te modo possim,
 9 qui data dextra, simul et dedisti
 10 verba ; nec certe potes hoc negare,
 11 qui me adhuc non viseris, id frequenter
 12 antea pactus.
 13 Ipse te noster modo clamat hortus,
 14 pendulae necnon cerasi queruntur
 15 ferre tam longum peritura, si non
 16 poma legantur.
 17 Me tenet durus nimium magister,
 18 inquires, necnon vigil excubator
 19 et fores observat, et arcet ad te
 20 ire volentem.
 21 At quis hoc credat ? Quis enim magister,
 22 ne magis ter dicam, adeo est magister,
 23 qui die festo studiis puellum
 24 ludere fessum
 25 nolit, aut non noverit, idque certo,
 26 nobilis quod mens pueri fatiscit,
 27 laeta ni austeris varientur olim
 28 festa profestis ?
 29 Ista si tu scis, Refugi, et quidem scis,
 30 eloqui, vel talibus aptiora,
 31 jam tibi, spero, facile exeundi
 32 copia fiet.
 33 Tu vide, nullas mihi necte causas,
 34 vel veni, vel te, Refugi, superbum,
 35 insuper pigrum, fideique fluxae
 36 jure vocabo.

AD FRANCISCUM VATABLUM.

E2_25 v.1 Te plurimi facio quidem, quod te nihil
 2 facis, tot aestimandus alias partibus :
 3 quod, ut reor, facis, omnis osor superbiae,
 4 vel, ut alii, virtutis haud gnarus tuae.
 5 Qui et integrae vitae, probis et moribus
 6 tantam eruditionem, et idiomatum
 7 peritiam omnium simul conjunxeris.
 8 Cor credo tibi, ut Ennio, esse triplex.

AD GERARDUM VERCELLANUM.

E2_26 v.1 Virtute et studiis qui conciliatus honestis,
 2 verus amor memorem me jubet esse tui.
 3 Me jubet esse tui memorem, vel ut ipse molestum,

4 ni qui, ut ego, ardentem diligat, esse queat.
 5 His te oculis contemplari tria lustra negatum est,
 6 vidisse ast mihi te cottidie videor.
 7 Doctrinae nec enim ista tuae et virtutis imago
 8 ex animo passa est te obsoluisse meo.
 9 Qui puero infixus Phoebi, ἀργυρέοιο βροοιο
 10 et cum annis et cum corpore crevit amor.

AD DOMINUM PETRUM LISETUM PRIMUM PRAESIDEM AEQUISSIMUM.

E2_27 v.1 Gallia poscebat plures te absente senatus,
 2 te praesente unum plus satis esse putat.
 3 Qui tot decidas juste ac ex tempore lites,
 4 quot jam humana nequit fingere calliditas.

AD DOMINUM GUIL. PAYETUM ADVOCATUM REGIUM.

E2_28 v.1 Quod Cicero, quid jam petitur Demosthenes orbi ?
 2 Payetus eloquio praestat utrumque suo.

GNOMAE MONOSTICHI AVIUM.

PICA.

E2_29 v.1 Loqui mihi promptum est, tacere vix queo.

ARDEA.

2 Tacere cogor, quae minus sciam loqui.

CORVUS.

3 Nec ego tacere, nec loqui possum satis.

PSITACUS.

4 Cui ratio desit, sermo si desit, bene est.

AQUILA.

5 Sic lingua corpus, clavus ut navim regit.

GRUS.

6 Quodvis magis, quam lingua, freno ducitur.

AD CASTILLONUM IMPERATOREM.

E2_30 v.1 Surge, te rauco aere tuba imperator
 2 exciet, totam nec enim decorum
 3 est duci noctem requie ac inertii
 4 dedere somno.
 5 Ecce jam lux alma retexit axem,
 6 ecce equus spumantia frena mandit,
 7 ecce promissi reus evocaris :
 8 hoc modo praesta.

AD CLAUDIUM MARRONEM.

E2_31 v.1 Claudii Marro, puer modeste, et apte,
 2 quo natus genio es, mihi Maronem
 3 illum posse aliquando praevideris
 4 si non vincere, vel praeire, certe
 5 haud longo spatio sequi, assequique,
 6 si non ipse tibi velis deesse.
 7 Sortem amplam, ingenium, ingenique nactus
 8 cultorem, idque Lutetiae, peritum.
 9 Ergo macte animi, impigerque tende,
 10 quo te fata vocant, viamque monstrant,
 11 cum certissima praemia, atque honores
 12 aeternum maneat breuem laborem,
 13 fac ne te monuisse Marro dicar
 14 frustra, et tu monitus, vale, ac ama me.

DE VIRTUTE.

E2_32 v.1 Algebat quondam, sed laudabatur ; at alget
 2 nunc, nec laudatur vel leviter probitas.

DE GERMANO SCHOLASTICO.

E2_33 v.1 Florentiam Germanus olim venerat,
 2 ad ingeni cultum ; et qui eum duxit, pater,
 3 magistro alendum tradidit parcissimo,
 4 qui nil nisi herbas porrigebat esui,
 5 ac si esset huic conviva bos accersitus.
 6 Hoc pertulit Germanus aliquot ad dies,
 7 nec ferre longum potuit, assuetus suis
 8 mensis : redivit ad patrem tandem. Hunc pater,
 9 suo quod injussu redisset, gravissime
 10 objurgat : "Audi, audi, inquit, et parces pater :
 11 veritus fui ne me esse fenum cogeret
 12 praeceptor, herbas si hieme non offenderet."

DE SEIPSO.

E2_34 v.1 Jam nec opes, nec honos quicquam in me juris habebunt,
2 si fiam, fiam servus amore dei.

AD EUSTATH. AUBERTUM.

E2_35 v.1 Pone metum leti, moriendum est : maxima crux est
2 si semper metuas, quod nequeas fugere.

EPITAPHIUM ANTONII SIRETI THEOLOGI.

E2_36 v.1 Siretus jacet hic, quo non praestantior alter
2 in Franciscana religione fuit.
3 Ecquis eo gravius docuit, quis contulit umquam
4 verba ad rem melius ? Sed tamen ecce jacet.
5 Certe exsanguie jacet corpus, verum ardua magni
6 ipse quidem caeli spiritus astra tenet.
7 Nascimur ut stato moriamur tempore, verum
8 mors diversa, bonis fausta, sinistra malis.

IN MARCUM.

E2_37 v.1 Fac ut salutes et loquaris blandius :
2 parvo ista constant, Marce, praestant non parum.

DE OTIOSO SERMONE.

E2_38 v.1 Sermo dicitur otiosus omnis,
2 qui non exprimit aut necessitatem
3 ejus, qui loquitur, facitque verba,
4 aut non instruit, excolitque mores,
5 aut quo haud votaue gratiaue summo
6 solvantur supera astra temperanti.

AD DEUM OPTIMUM MAXIMUM.

E2_39 v.1 Heu criminum ultrices truces
2 imago mortis plurima,
3 et pestis et tristis fames
4 (quae vindicante te efferunt,
5 parcente item condunt caput)
6 late perurunt omnia.
7 Et nos genus durum et ferum,
8 nec erudimur tot malis,

9 ut te tremamus unicum,
 10 nec provocamur tot bonis,
 11 ut te colamus unicum.
 12 At tu pius, parce impiis,
 13 nec pessimos sperne optimus.

AD MENTEM.

E2_40 v.1 Quid sponte mens non prodigis,
 2 secura magni fenoris,
 3 quod cum tuo magno malo
 4 tandem coacta deseres ?
 5 Caelum quidem est sublimius,
 6 quam quo haec vehantur terrea.

AD LOLIUM.

E2_41 v.1 Saepe me, Loli, acriter arguisti,
 2 quod bonas horas male collocarem,
 3 dum pias vatium minus otiosus
 4 aemulor artes.
 5 Interim arcanis ais avocari
 6 me : tace posthac precor, et putato
 7 et deum has curare, et amare, et esse
 8 ab Jove Musas.
 9 Sunt pii vates, scelerisque puri,
 10 nec puto jam vatibus inserendos,
 11 qui suo frangunt, hominum evirantque
 12 carmine mentes.

AD IACOBUM TUSANUM.

E2_42 v.1 Tusane, tu sane, ut cupis tu, sanus es,
 2 et mente sanior quidem quam corpore.
 3 Utrumque quod sit, imputandum est litteris
 4 quas improbo labore nil quam amplexus es.

ODE AD D. CLAUDIUM.

E2_43 v.1 Huc huc pii omnes, pes pedi,
 2 vir haereat densus viro,
 3 solemnis hac honor die
 4 divo feratur Claudio.
 5 Hinc hinc profani sint procul
 6 sint, dico, qui nec in suis
 7 sanctis deum, nec ob deum
 8 sanctos honorandos putant.

9 Si tanta mersis corpore
 10 benignus indulisit deus,
 11 quid liberos affectibus
 12 his, posse suspicabimur ?
 13 Adsitis ergo seduli
 14 votis vocemus Claudium
 15 caeli tenentem sidera,
 16 quo nos sua juvet prece.
 17 Ut qui supersunt, corporis
 18 mentisque compotes sient.
 19 Qui desierunt, criminum
 20 poena eximantur omnium.
 21 Praestare quod solus potest,
 22 qui regnat aeternum deus,
 23 cum filio, cum spiritu,
 24 cui sola soli gloria.

IN MEDICUM.

E2_44 v.1 Hortabar medicum foras iturum,
 2 ut ferret, laterique commodaret
 3 ensem : "Nil opus est mihi, inquit, ensis,
 4 qui tot vel calamo queam necare."

AD PONTICUM.

E2_45 v.1 Quod te olim nequam et improbum vocarim,
 2 in jus, Pontice, me paras vocare.
 3 Parce his obsecro, te bonum fatebor,
 4 nunc, at me nimium fuisse falsum.

IN CURIONEM.

E2_46 v.1 Multum Curio parcus est honoris.
 2 Quid mirum ? Haud minimo emit ipse honorem

IN LURCONEM.

E2_47 v.1 Lurco in febre siti medico sedare volenti
 2 "Tolle, inquit, febrem, nosco levare sitim."

AD D. ERASMUM.

E2_48 v.1 Erasme vere εράσιμῃε (grec : 'aimable')
 2 hujusce lumen saeculi,
 3 sed et futuri, quem unicum

4 juste queam prioribus
5 conferre, si non praeferam,
6 salve, o Erasme, quo duce
7 ου δειν κοιδεων οδοι,
8 quod vel fatentur invidi.
9 Quis non aperte intelligit
10 lux quanta per te accesserit
11 bonis sacrisque litteris ?
12 Licet, fatebor candide
13 quod audii, sint plurimi,
14 qui non tibi certissimam
15 sacri libenter eloqui
16 peritiam concesserint.
17 Quorum impudens mendacium
18 tot hactenus voluminum
19 abs te editorum copia
20 satis refellit, ac super.
21 Quae si quis apte legerit,
22 qui fiat ut qui scripserit,
23 non doctus esse non potest ?
24 Quid cultius paraphrasi ?
25 Quid adnotationibus
26 usquam adnotandum sit magis ?
27 Translatione denique
28 quodnam tua fidelius ?
29 Dum summa sectaris, nihil
30 porro relinquis infimum,
31 sed arte quod summum facis,
32 sic certe utrumque temperas,
33 addas ut ornatum infimis,
34 summisque lumen adferas.
35 Sic quippe perplexa explicas,
36 ut profuturum μήκει
37 σκοτος σκοτω παν δηλοτος.
38 Sed forte Erasme si roges
39 quis sim, unde, quove nomine
40 nunc te aggredi ausim, dum obstrepo
41 audaciorque his naeniis
42 commune pecco in commodum,
43 dum te his legendis interim
44 tuo a negotio avoco,
45 et functione, quam bonis
46 in excolendis artibus
47 ultro tibi desumpseris.
48 Non te morabor, accipe
49 paucis, at id genus pedis
50 mensura tam brevis vetat,
51 et proprio nunc nomine,
52 et patrio cognomine
53 notum tibi me reddere,
54 quibus nec essem notior,

55 verumtamen circumloquar,
 56 ne nescias, Monastici
 57 dicor magister gymnasi,
 58 prior bonis a nuntiis
 59 templi, quod est Aureliae,
 60 Beraldo amicus, Brixio,
 61 sed et Budaeo non parum
 62 dilectus, ut jam suspicor,
 63 bonas secutus litteras,
 64 an assecutus nescio,
 65 Verum virorum maximus
 66 mirator excellentium,
 67 tuique, Erasme, aequalium,
 68 si qui modo aequales sient,
 69 quem aetatis hujus principem
 70 existimo, amplector, colo,
 71 tibi que nomen do, et tua
 72 in verba sancta deiero,
 73 perenniter stipendia
 74 facturum in castris tuis,
 75 seu me velis gregarium,
 76 seu me velis rorarium,
 77 nec ullum abhorrebo locum,
 78 quem tu mihi delegeris,
 79 mihi ut decorum plus satis.

AD FRANCISCUM BRUNIUM.

E2_49 v.1 Francisce, gnaviter stude,
 2 et otiorum desine
 3 vim mentis haurientium.
 4 Francisce, si secus facis,
 5 te sera paenitentia
 6 longo manebit tempore.
 7 Nunc cum potes, fac, ut velis,
 8 ne cum voles olim, haud queas.
 9 Fugit juvenas, irruit
 10 senectus haud sat cognita,
 11 aetas brevis, longus labor.
 12 Aetas labore extenditur.
 13 Vixisse diceris diu,
 14 labore si longo breve
 15 prodideris aevum providus
 16 quae vere flores non comat,
 17 aestate fructus non dabit
 18 arbor. Juventas non male
 19 veri, ut puto, committitur,
 20 aetas senectuti. Puer
 21 qui, dum puer, non floreat,
 22 vix afferet fructum senex.

23 Ergo veternum hoc excute,
 24 et te labori, quam otio,
 25 utrimque enim consumimur,
 26 dedas magis : corpus simul
 27 tuum esse ferri instar puta.
 28 Hoc nempe si tu exerceas,
 29 longaevus usus atteret
 30 tandem ; at minus si exerceas,
 31 rubigo turpis exedet.
 32 Est turpius rubigine,
 33 Francisce, quam usu conteri.
 34 Parvo in labore est gratia
 35 non parva, nec minus decus.
 36 Amara stirps scientiae,
 37 fructus quidem gratissimus.
 38 Qui fundat arcem, dum jacit,
 39 locatque fundamenta, non
 40 ullam voluptatem capit
 41 quousque tota creverit,
 42 et surgat in molem domus.
 43 Sic qui sequetur litteras,
 44 in collocandis basibus
 45 parum ipse delectabitur,
 46 quin, non carebit taedio ;
 47 at deinde cum promoverit,
 48 plenisque gustarit labris
 49 quam suavis est scientia,
 50 mirabiturque non suo
 51 sensu adjuvarier suum ;
 52 nulla hunc voluptas traxerit,
 53 nulli hunc honores aut opes
 54 hujus ab amore avulserint,
 55 illam anteponet omnibus
 56 (haec quippe mentis pabulum est)
 57 quae mundus alte suspicit,
 58 huic vita devovebitur,
 59 quae pol laborem decipit,
 60 necnon medullas vi sua
 61 vel integris est ossibus.
 62 Quae sola digna quae sui
 63 amore captivos trahat.
 64 Francisce, nunc ergo vide,
 65 ne tempus elabi sinas,
 66 quod deinde non redemeris.
 67 Sis parcus hujus, cujus est
 68 honesta tantum parcitas.

DE VENERE REGI FRANC. DATA.

2 viderit insignem dantis, et artificis.
 3 Hic sic duxit opus, visum ut deludat imago,
 4 luditque, haec qui amplo in munere habenda velit.
 5 Ecquid habet munus tali te principe dignum ?
 6 Quid tibi cum pomo ? Quid tibi cum Venere ?
 7 Carpat poma puer, Venus inspectetur ab illis,
 8 pulchra quibus conjux Allienora deest.

AD SODALEM

E2_51 v.1 Quicumque servis crimini,
 2 es ipse servus criminis,
 3 sed et tuorum maxime :
 4 qui scelera cum norunt tua,
 5 non liberari se modo,
 6 verum et timeri gestiunt.
 7 Sis liber, et jugum excute
 8 hoc servitutis tam grave ;
 9 te uni velis servum deo,
 10 cui qui subest, late praeest.

IN LUCIUM.

E2_52 v.1 Me nimium facilem, Luci, seu oratio prosa
 2 a me, seu carmen scribitur, esse putas.
 3 Me facile esse velim, nec egens interprete sermo
 4 labe, ut perspicuus laude, carere potest.
 5 Nil equidem scribo, ne non intelligar, istud
 6 vi mentis fieri deficiente reor.
 7 Nec tenuis labor est, tenuis nec gloria, rebus
 8 obscuris splendorem, implicitisque dare.
 9 Nolim obscura mihi obtingant, tibi ut omnia, Luci,
 10 obscurum exemplo nec juvat esse tuo.

EPITAPHIUM IO .MORINI.

E2_53 v.1 Si fortasse petis viator, isto
 2 quisnam conditur, et jacet sepulchro,
 3 paucis expediam. Morinus ipse est,
 4 quo uno nomine, scito comprehendi
 5 virtutis genus omne sanctioris,
 6 et verum hoc tibi suade, et i, viator.

DE JURGIO FURIS ET ADULTERAE.

E2_54 v.1 Fur vir erat, cui pulchra uxor, sed adultera : neuter
 2 sic furti immunem dicere se poterat,

3 quippe Hermes furto, furto quoque Cypria gaudet,
 4 dulce est auctores fraudis habere deos.
 5 Vir porro patri quondam corraserat aurum,
 6 et deprensa frequens uxor adulterii.
 7 At neuter sceleris, sua quae est natura, vicissim
 8 alterius facinus dissimulare potest.
 9 Dissidium inter eos ut sensit Cypria, currit,
 10 artibus has iras compositura suis.
 11 "Dic, ait uxori, quo accusor, matris id actum est
 12 consilio, nec ob id res tua facta minor.
 13 Haec tibi me junxit primo, hinc licuisse secundo
 14 sum rata, femineae est simplicitatis opus."
 15 Te vero bone vir, quae culpa remordeat ulla ?
 16 Qui non furatus, fretus es ante diem ?

DE ANIMI IMPERIO.

E2_55 v.1 O quicumque tuae fortis dominabere menti,
 2 imperium magnum, nec pete majus, habes.

AD PETRUM SANXONUM.

E2_56 v.1 Vixit satis, quisquis satis novit, nihil
 2 hanc esse vitam, quam molestam miseriam.

AD SENES SUPERSTITIOSOS ET AVAROS.

E2_57 v.1 Qui comparatum est nescio, ut quibus viae
 2 minus supersit, plus petatis viatici ;
 3 quibusque non promittit aetas tam gravis
 4 longa spatia, observetis attente dies :
 5 ni quod senectuti sua est infantia.

AD DIVUM MARTINUM.

E2_58 v.1 Martine summo Pannonum
 2 exorte regum sanguine,
 3 virtute qui multa genus
 4 primosque vitae masculis
 5 transgressus annos moribus,
 6 en nunc tuis imponitur
 7 aris honos. Tu sedulus
 8 veni, et laborem istum leves,
 9 et placidus adjuves pium.
 10 Veni, en tuus supplex tuo
 11 templo sacerdos te meis
 12 votis, quibus possum, voco :

13 te, in quo prophetae spiritus,
 14 apostolique gratia,
 15 necnon voluntas martyris,
 16 et virginalis castitas,
 17 et quicquid innocentiae
 18 usquam fuisse creditur ;
 19 cui tam dei benignitas
 20 explicuit omnem se magis ?
 21 Cui militavit aeris
 22 omnisque rerum machina,
 23 faces ministrans igneas,
 24 queis fana daemonum ureret.
 25 Furentibus saepe obstitit
 26 ventis, parantem fulmina.
 27 Flexit deum supplex prece, et
 28 jamjam exitura spicula
 29 extorsit irati e manu ;
 30 contra, quasi hic mundi arbiter,
 31 in quos lubet, jacta aspicias,
 32 et ut juvat, sic si irites,
 33 certe ultor est acerrimus ;
 34 cui et audierunt alites,
 35 et paruerunt cum suis
 36 amnes remissi piscibus.
 37 Exemit ille et asperis
 38 virus malum serpentibus.
 39 Truces cicuravit feras,
 40 et vocis usum elinguibus,
 41 surdisque munus aurium
 42 favore caeli praestitit.
 43 Num morte functos exciit,
 44 tribusque vitam reddidit,
 45 raptis ab Orci faucibus ?
 46 Quis ergo nobis caelitum
 47 isto colendus est magis ?
 48 Sed ligna quid porto in nemus ?
 49 Pro dignitate dum tibi
 50 asserere nitor gloriam,
 51 dictisque famam extendere,
 52 quam vastum arandum aequor, tua
 53 quisquis leget vestigia ;
 54 sed adnatabo litori,
 55 nec longius vela faciam :
 56 deinde copiosius
 57 paratus, ut fas est quidem,
 58 sentire de te, quam loqui.

EPITAPHIUM DOMINI BOYHERII

2 naturae legem, iudiciumque grave.
 3 Nunc jacet hac tectus modica Boyherius urna,
 4 Northmanae quaestor maximus ante plagae
 5 cui tanta omne genus fuit experientia rerum,
 6 quantam non ulli paene fuisse rear.
 7 Seu privata domus, seu publica munia cernas,
 8 nil dignum cura hunc praeteriisse putes.
 9 Sic noto bellum rex formidabile mandat,
 10 dum regna Insubrum debita jure petit ;
 11 qui dum ibi sollicitate, supraque hominem omnia curat,
 12 amisit curam corporis, et cecidit.
 13 Si tam avidae Christi, quam regis jussa peregit,
 14 (quod puto) multa modo praemia dignus habet.

EPITAPHIUM LUDOUICI RUSAEI.

E2_60 v.1 Si, quae te condit, Ludovice Rusaeae, deinde
 2 sementem certo fenore reddat humus,
 3 quid nisi virtutes pariet ? Quarum omnia tecum
 4 istoc in tumulo semina jacta tenet.

AD VENSÆUM PICTOREM.

E2_61 v.1 Trimestri fueras iconem fingere pactus,
 2 quam sex post annos vix mihi reddideris.
 3 Te segnem interea, Vansaeae, pigrumque vocabam,
 4 et pejus, quod jam non retulisse velim.
 5 Nam, quam misisti mihi, dum spectatur imago,
 6 vix opus annorum credo fuisse decem.

AD PETRUM.

E2_62 v.1 Jam non, Petre, animo mihi videris
 2 sanus, nec, puto, sanior fuisti
 3 umquam. Dii, rogo, Petre sanitatem
 4 (ne non me tibi nunc putes amicum)
 5 servent corporis, adferantque mentis.

DE SOPHISTA.

E2_63 v.1 Nuper venerat huc sophista quidam,
 2 nostro non stupidus, suo peritus
 3 multum iudicio, profecto acutus.
 4 Hic me invisit avunculo iubente,
 5 quo cum meridiabar. Ut sederet
 6 nobiscum, aegre ab avunculo impetravi.
 7 Nonnullum hic igitur s<ui> erudit<us> (vers faux dans l'édition ancienne)

8 facturus specimen, tacente utroque
 9 nostrum, phasmata mille congerebat,
 10 soritas totidem, id genusque tricas,
 11 quarum unam reminiscor ipse tantum.
 12 "O, inquit, domini, libetne mecum
 13 quid deponere, quod palam probabo
 14 esse ibi pira quinque, cum tria exstent
 15 solum ? " _ "Feceris, inquit, stupendam
 16 rem, verum mihi, avunculoque gratam,
 17 si nos arte tua auxeris duobus."
 18 "Nonne, inquit, tria sunt ? _ "Ita." _ "An tribus non
 19 insunt et duo ? " Et hoc fatemur. "Ergo
 20 tria haec, et duo, quinque sunt." Probamus.
 21 Sed nos haec tria, tu duo comesto,
 22 probatoque tibi tuum axioma.

DIALOGUS HERI ET SERVI ESURIENTIS.

E2_64 v.1 Multis rogabat servum herus famelicum,
 2 ut colloquendo hunc a cibis averteret,
 3 et paene devorantis falleret famem.
 4 Sed, quae gulae est sua ars, dolum elusit dolo,
 5 ut verba verbis subdole rependeret,
 6 daretque responsum, simulque pasceret.
 7 Herus rogavit , quicquid in mentem irrui.
 8 _ Quidnam peregre, ait, novi visum est tibi ?
 9 _ Nix, servus inquit. _ Sed nihil praeter nivem ?
 10 _ Mus. _ Num obiter invisisti agrum ? _ Sic. Quid deest ?
 11 _ Seps . Quid tibi die hac visum pulcherrimum ?
 12 _ Sol. _ Quid tibi daretur hic praepostere ?
 13 _ Jus. _ Dormiendo quis tibi par ? _ Glis. _ Domo hac
 14 quid te frequenter arcuit ? _ Vis. _ Quid jacet ?
 15 _ Pax. _ Quid furit ? Mars. _ Quid silet ? _ Lex. His modis
 16 sat fecit, ut ne dentis ictum perderet.

IN LATRONES.

E2_65 v.1 Fures erant duo, et, ut dici solet,
 2 invenerat suum Attabas Numaenium.
 3 His tertium sese facit limax trifur,
 4 atque is ubi medio constitit ridens loco,
 5 "Nunc, inquit, hic mihi, quod et Christo obtigit
 6 duo latrones ut mihi cingant latus."
 7 "Imo, inquit alter furum, id obvenit tibi
 8 nunc, quod nec usquam contigit Christo, utpote
 9 qui te aequiores hic duos offenderis.

AD RUFFUM.

E2_66 v.1 Sic vivas, quasi sis hodie moriturus, et idem
2 sic morere ut vitae spe melioris eas.

AD IOANNEM MAYUM AVUNCULUM.

E2_67 v.1 Unice post multos, mihi quem fortuna reliquit,
2 solamen rebus praesidiumque meis.
3 Sex etenim nobisque, tibi que immitis ademit
4 mors fratres, unum te superesse dedit.
5 De tot Joannes ergo mihi sole superstes,
6 tot vivas quot non illa Sibylla, dies.
7 Ito quibus coepisti avibus, solare relictos,
8 defendas omnes, qua potes arte tuos.
9 Unus enim es qui jura scias, ut machina nullum
10 qui magis haec eadem qui tueatur, alat.

AD LUDOVICUM RUSAEUM JURIDICUM PARISIENSEM AEQUISSIMUM.

E2_68 v.1 Nil serum, Lodoice, Varro dixit
2 opportunum itidem quod esset. Ecquid
3 opportunius his tibi diebus,
4 id sero licet, exhibere possem,
5 quam caelestis opus sacrum prophetae ?
6 Dum natalis adest dies Iesu,
7 quo debent tria verba subsileri,
8 et tibi licet a foro vacare,
9 quo demum apophoreta deferuntur.
10 Si solum aspicias libri umbilicos,
11 et solam pretii aestimationem,
12 indignum, scio, munus est utroque,
13 qui majus mereas, et ipse majus
14 possim pandere, debeamque ; verum
15 si spectas quam habeat datum bonorum
16 hoc caelestis opus sacrum prophetae,
17 dignum certe erit hoc utroque munus,
18 nec majus cupies, nec ipse majus
19 possum pandere, debeoque : non tot,
20 reor, topasius lapis, rotansque
21 pavo vel Samius comante cauda
22 ad solis jubar explicat colores,
23 nec tot manna gulae attulit sapes,
24 quot psaltes facit, omnibus sat unus.
25 Seu caelestia postulas, Olympo
26 hunc jures cecidisse. Seu caduca haec
27 et terrestria, condidisse credas.
28 Sic res subjicit, exprimitque causas.
29 Hunc ergo, Lodoice, habeto gratum,

30 non tam ob Davida, quam quod est fidele
 31 tui μνημόσυνου sodalis : erro
 32 scribere hic volui<sti>, tu, clientis,
 33 qui te semper habere vult patronum.

EPITAPHIUM RO. ET PONCHERII QUAESTORIS.

E2_69 v.1 Illustris titulis patrum, suisque,
 2 decus feminei Roberta sexus
 3 terras liquerat, iveratque caelum.
 4 Quae dum Poncherium reliquit, ille
 5 vivendi quoque spem simul reliquit.
 6 Non nati huic, nec opes tot, aut honores
 7 carae conjugis intulere Lethen,
 8 verum turturis instar ingemebat
 9 semper, nec prius ille conquievit,
 10 quam cum illa requiesceret sepultus.
 11 His olim ut thalamus duobus unus,
 12 sic et nunc tumulus duobus unus.

AD IOANNEM SALIGNACUM.

E2_70 v.1 Ut vitium, sic nec virtus referenda tuorum
 2 ulla tibi, sibi stat quisque, caditque sibi.

EPITAPHIUM R. IONNIS BINETI.

E2_71 v.1 Tectus Johannes jacet hac sub mole Binetus,
 2 et sibi, et huic domui mortuus ante diem.
 3 Nam non, quod dederat tempus natura, peregit,
 4 dum falli, ut pisces, nesciit ore viros.

EPITAPHIUM D. FRANCISCI DELOINI.

E2_72 v.1 Heus heus, quid modo praeteris, viator,
 2 quod nescisse diu tibi solebit ?
 3 Sta, et paulum exsequiare Deloino.
 4 Quod si forte hominem videre vivum,
 5 atque audire dei tibi negarunt,
 6 hac es parte tamen nimis beatus,
 7 functi cernere quod diu sepulcrum
 8 pulchrum, pulchrius ossibus sepulti,
 9 quam tot artificum manu futurum.
 10 Adesdum, et tuere omne diligenter.
 11 Vides hunc lapidem, et putas pusillum ?
 12 Erras, hunc enim oportet esse magnum,
 13 qui centum tegat et premat senatus

14 si non corpora, at aedepol cor, ora.
 15 Sed jam, si lubet, hinc ubi viator ;
 16 facturus siquidem moram es perennem,
 17 si quicquid de hominis potest honore
 18 dici, audire amor est ; abi et precare
 19 non huic, qui meritis polo est receptus,
 20 sed tibi hunc imitari ut inde detur :
 21 pro summo id tibi debet esse voto.

EPITAPHIUM ANNAE OLEARIAE.

E2_73 v.1 Ecce Anna est Olearia hic sepulta.
 2 Pro crudelia fata, diique saevi.
 3 Numquid vita erat ampliore digna ?
 4 Cui talem indiderat Venus figuram,
 5 qualem vix Helenes putem fuisse,
 6 et Pallas sapientiam, et pudicam
 7 mentem, munera rara feminarum.
 8 Quibus, dixero pace ceterarum,
 9 cunctas iudicio meo anteibat.
 10 Invidere tamen ferae huic sorores,
 11 et filium secure, et ante tempus,
 12 verum non sine magna olivitate
 13 ecce Anna est Olearia hinc recepta.

DE PAUPERE ET EPISCOPO.

E2_74 v.1 Pauper pro foribus jacebat aedis,
 2 quam subibat episcopus frequenti
 3 stipatus famulantium corona.
 4 Hunc pauper rogat, ut stipem erogaret.
 5 Nil motus precibus piis sacerdos
 6 spreto paupere praeteribat. "Heus tu,
 7 inquit pauper, episcopale saltem
 8 signaculum mihi ne neges precanti."
 9 Tunc conversus episcopus, jacentem
 10 lustravit benedictione, ut aiunt,
 11 cui pauper : "Minime quidem dedisses
 12 hanc, si tu unius assis aestimasses."
 13 Cumque a pluribus esset increpatus,
 14 quod et sic loqueretur, et caput non
 15 retexisset, ait "Bona efficaxque
 16 haec si sit benedictio, galerum,
 17 objices quoque permeabit omnes."

DE PICTORE COLUMBA.

E2_75 v.1 Columba pictor nobilis

2 rogatus est a quopiam,
3 ut trinitatis pingeret
4 imaginem : "Volo hercule,
5 inquit, mihi si tu prius
6 qualis sit ipsa, dixeris,
7 ejusque spectrum expresseris,
8 ostenderisve ecunculam."

AD ISAACUM.

E2_76 v.1 Es puer, haud malus es : aetas, non plurima vibex
 2 flectere te coget hoc prius ingenium.

AD EUNDEM.

E2_77 v.1 Ingenium prius hoc coget te flectere vibex
 2 plurima, non aetas : es malus, haud puer es.

IN QUENDAM GLORIOSUM.

E2_78 v.1 Aptus insidiis quidem es struendis,
 2 qui te non retegas libenter umquam.

IN EBRIUM.

E2_79 v.1 Lucernam, puer, aufer a Matulsa,
 2 et cui nunc noceant faces, et ignes,
 3 et cui lumina dent faces et ignes,
 4 lucernam, puer, aufer a Matulsa.

IN PROCLUM CANTOREM.

E2_80 v.1 Proclus canebat, et rogabat : "Num bene
 2 dixi, haud inepte si velis, canes. At is
 3 [LACUNE]

MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET ?

E2_81 v.1 Uritur interius caeco magis acriter igne
 2 virgo, ubi quod nescit, dulcius omne putat
 3 nec credit se posse ullo insatiabilis uxor,
 4 quam cui juncta, viro frigidior frui.
 5 Defuncti cura, desiderioque mariti
 6 semper ad assuetas ingemit orba faces.
 7 His factum ut mulier tot jam labentibus annis

8 aut nulla, aut raro fortis habenda fuit.

VITA ECCLESIASTICA.

E2_82 v.1 Nil instituto suavius vitae meo
2 puto esse, quae procul negotiis mihi
3 vivo, immo vivit in memet deus.
4 Sum certa praemii, scio cui feneror.

CIVILIS.

E2_83 v.1 Ecquid potest excogitari dulcius
2 fingive, quam quod obtigit mihi ? Omnibus
3 honoribus fungor, lucror, negotior,
4 Quiesco, dum licet ; licetque, cum libet.

RUSTICA.

E2_84 v.1 Laudare quisque suum solet plus quam decet.
2 At ipsa non satis meum pro copia
3 numerare possum, cui tot armenta, horrea
4 referta, plenique optimo vino lacus.

MOMUS.

E2_85 v.1 Bona hic sua omnes efferunt, tacent mala.
2 Illi otium est molestius negotio,
3 tibi ossa livor, miles isti est omnia.
4 Expers in orbe nullus est molestiae.

IN AGRIAM THEOLOGAM.

E2_86 v.1 Differre et vetus et novum asserenti
2 Testamentum Agriae, et quidem proterve,
3 illusit Vigius satis facete :
4 "Verum, inquit, memorare viso es, illo
5 certe septem homo conjuges habebat,
6 haudquaquam mihi adhuc repertus ullus,
7 qui non plus nimio esse credat unam."

IN DUOS IUUENES RENATUM MARSCHALUM ET PETRUM MOTTAM.

E2_87 v.1 Ludis, Petre, ubi ludit et Renatus ;
2 sed ludis, Petre, dum studet Renatus.
3 Jam te ludere nolo, cum studendum est,

4 nec cum ludere opus, velim studere.
 5 Namque hebet, nisi sit vicissitudo
 6 otiique negotiique, virtus.

AD FRATREM RENATUM MARESCHALUM.

E2_88 v.1 Corpus, Renate, terreum est,
 2 et par veredo praepeti,
 3 qui frena nondum mandidit
 4 qui, quo fovetur lenius.
 5 Et hunc frequenter excutit,
 6 stratumque calcibus ferit :
 7 sic corpus Hercules facit,
 8 nec contineri sat potest,
 9 si vel parum huic indulgeas.
 10 Nec subtrahenda sunt tamen
 11 illi necessa pabula.
 12 Nempe ut carere his non potest,
 13 sic certe abundanter data,
 14 multam inferunt molestiam.
 15 Ergo doma jejuniis,
 16 sed temperatis, ut nimis
 17 nec culta, nec spreta haec caro
 18 tandem tibi subserviat,
 19 clavum tene, nec jam sine
 20 te de gubernaculo excuti :
 21 quod forte si tu deseris,
 22 et cedis, et rapi sinis,
 23 mirabili tanti maris
 24 elatione, te simul
 25 periclitaturum puta.
 26 Portum salutis hac sine,
 27 portum salutis hac duce
 28 numquam potes contingere.
 29 Ergo regenda, non quidem
 30 sequenda fallax belua,
 31 vorax, proterva, prodiga,
 32 efflagitatrix improba,
 33 quae plus petit, quam competit.
 34 Nil est quod aequae corporis
 35 mentisque vires opprimat,
 36 quam mollis educatio.

EXCRIMINATIO THEOLOGIAE.

E2_89 v.37 Theologia suo nitida, et contenta colore est,
 2 atque istud pulchrae virginis instar habet.
 3 Non adipis, nec item cutis ulla hanc cura moratur,
 4 cui mage cum nervis ossa resecta placent.

5 Nuda quidem, ac semper simplex oratio veri est,
 6 velamen nec, se quo tueatur, amat.
 7 Delectare negat, vitium cui est ipsa voluptas :
 8 hic satis amplum operae, si capitur, pretium est.
 9 Verbis auctores, non verba auctoribus ipsam
 10 dant legem, rebus verba subesse decet.
 11 Mutantur mores, mutantur tempora, quaenam
 12 sermonis statio firmior esse potest ?
 13 Nec Cicero veterum ductus ratione loquendi,
 14 eloquio aetatis detulit ipse suae
 15 quod dispar dum orat, dum philosophatur, habetur,
 16 ut numquam credas unius esse phrasim.
 17 Verba habet orator, sua quae neget esse poeta,
 18 hujus item orator, plurima, ut arta, fugit.
 19 Heroo fera bella pedi tibi dentur amores
 20 [LACUNE] (photo de la page mal cadrée)
 21 stultitia haec nostra est, ut quod miramur in illis,
 22 illud idem in nobis ducimus esse nefas.
 23 Ornatum semper schola Stoica fugit inanem,
 24 non nixa eloquii, sed rationis ope.
 25 A sacris procul hae veneres, cui publica forma est,
 26 ut nummus, mihi sic sermo placere solet.
 27 Dicendi certissima consuetudo magistra est,
 28 verbaque sunt medio plurima tracta foro.
 29 Ipsius haud ulla est ratio sermonis habenda
 30 hic, ubi sit precibus sollicitanda fides,
 31 cuique suam melius tribuunt dialecton Achaei,
 32 altera nec damnat lingua, quod una probat.
 33 Rhetoribus suus esto modus, suus esto poetis,
 34 ecquis theologis non ferat esse suum ?